DE ENUNTIATIONUM

INTERROGATIVARUM NATURA

GENERIBUSQUE PSYCHOLOGORUM

RATIONIBUS ATQUE USU MAXIME

PLATONICO ILLUSTRATIS.

P. I.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

THEODORUS IMME

CULMENSIS.

LIPSIAE

TYPIS ANDRAEI.

MDCCCLXXIII.

~~FD 40634 MAIN~~

MAIN

§ 1. Praemittenda.

Cum per tot seculorum spatia hominum grammaticorum iudicium adeo obscuratum esset, ut ii, non tam voluntate quam cursus errore falsi, quamvis magna industria ac sedulitate adhibita linguae universae naturam penitus ignorarent, hac demum aetate exstiterunt qui singulari mentis acumine atque incorrupto iudicio induti caliginem illis regionibus offusam dissiparent quaque majori fidentia amplius procedere licet viam munirent. Idcirco haud mirum esse potest quod nunc omnino in his studiis, infinita quaestionum controversiarumque mole excitata, ut permulta sine dubio admirabilia virorum doctorum diligentia atque ingenio in lucem prolata exstant ita perfecti atque absoluti nihil usquam conspicitur. Quod cum in totam linguarum doctrinam valet tum maxime in eam partem quae syntaxis appellatur. Huic enim insigni disciplinae id potissimum summo incommodo erat quod grammatici suam artem a logica pendere opinantes logicorum stabiles abstrusasque notiones in linguam traducebant id quod falsissimum erat quia loquendi facultas omnibus hominibus insita ex animo quasi vivus fons prosilit et multiplices flexibilesque animi mutationes prosecuta sentiendi cogitandique effigies praebet pro singularum gentium natura et cultu diversas. Unde satis apparet linguarum investigandarum moderatricem non logicorum disciplinam esse, sed psychologiam. Cuius rei veritatem praeter alios viros doctos imprimis Steinthalius W. Humboldtii vestigia insecutus luculentissimam reddidit. Fieri igitur non poterit quin firmis fundamentis semel iactis etiam syntaxeos ars quae hoc tempore quasi incunabulis

adhuc teneatur diligenti usus observatione evecta mox ad altiorem gradum processura sit.

Inter eos libros qui ad hunc finem tendunt facile palmam tenet liber Delbrückii et Windischii qui inscribitur „Syntaktische Forschungen“ cuius libri primum volumen coniunctivi et optativi Sanscritae et Graecae linguae proprium usum continens Delbrückius in lucem edidit (Halle 1871). Atque is rectissime ea quae G. Curtius vir ill. praeceptor meus humanissimus monuit (Erläut. p. 195) secutus totam enuntiationum copiam primum in affirmativas (Aussagesätze) et interrogativas dividit, deinde affirmativas in enuntiationes primarias ac secundarias quae quidem aut pronomine relativo aut coniunctionibus enuntiationibus primariis subiungantur (l. l. p. 15). Iam L. Langius qui vir in his studiis versatissimus lectionibus comparativam utriusque linguae classicae syntaxin tractantibus mihi totum hunc novum locum aperuerat ineunte hac aestate me excitavit ut in interrogationum usum apud Platonem cui scriptori plurimam operam dedicavi notandum accuratius inquirerem quo proposito celeriter arrepto mox intellexi veram interrogationum naturam a grammaticis veteri scholae addictis minime cognitam haberi. Quorum in libris adeo ad hoc tempus propagatis interrogationes in appendice fere tractantur quasi ad ceterarum enuntiationum gravitatem pro nihilo aestimandae sint [1]). Cuius rei causam eam vel maxime statuendam puto quod omnis hucusque grammaticorum ratio logicis quae vocantur categoriis constricta tenebatur. Videlicet quaevis interrogatio iudicium complectitur non integrum tale quale a logica disciplina flagitatur sed in medio adhuc haerens ac responsione demum explendum. Iam vero si verum hominum sermonem sive animi a tenebris ad lucem procedentis

---

1) V. exempli causa Matthiaeum qui in gr. Gr. per paucas paragraphos (§ 611, p. sqq.) quae partim particulas interrogativos πόθεν; πότε; e. q. s. partim conjunctionum usum spectant interrogationes per occasiosionem tantum leviter tangit.

naturam deliberamus, quam egregium in universae linguae finibus locum interrogationes teneant per se patet. Sublata enim interrogandi respondendique facultate omne inter homines commercium simul tolleretur, denique omnis cogitandi disserendique ratio, omnia scientiarum humanarum incrementa omnino nulla essent, nisi usque interrogando via ac ratione amplius in dies procederetur. Quae cum ita sint, cum diligenti singularum linguarum investigatione tum incorrupto in variis quae huc pertinent animi affectionibus observandis iudicio opus erit, ut quae tam diu latebat de interrogandi rationibus scientia tandem eruatur. Quod munus a duobus virorum grammaticorum generibus simul praestari poterit, primum a grammaticae comparativae ampliora studia persequentibus, deinde a philologis qui artioribus investigandi finibus circumscripti sunt. Iam cum illorum sit interrogationum apud diversissimas gentes originem atque inde a vetustissimis quoad inquiri possunt aetatibus propagationem ostendere, hos magis decet singulos cultiorum temporum scriptores diligenter perscrutari. Quamquam minime negarim utroque munere ab uno viro coniunctim suscepto facile etiam meliorem fructum percipi posse. Quamobrem ignoscatur mihi ab iis quibus haec diiudicanda sunt viris doctis quod philologiae studiis addictus non vetustiorem linguae statum indagavi sed unum quendam scriptorem Atticum pertractandum mihi suscepi. Etiamsi enim ab Homero profectus uni linguae Graecae me alligassem, non potuissem non diversarum aetatum gentiumque usum conferre id quod neque tempus neque vires mihi concessissent. Ac Platonem[1]) quidem mihi elegi primum quod in

1) Platonis libros paene totos inspexi in hac quaestione genuinorum et non genuinorum dialogorum differentiam neglegendam existimans. Eorum igitur quae Hermannus cuius textum secutus sum in editione exhibet omnia perlegi exceptis Alcib. II., Anternast. Theag., Ion., Clitophont. (vol. VI. totum huc pertinere per se patet) qui dialogi per se subditicii nullius momenti sint. Ex Timaeo et Critia me nullum percepisse fructum vix est quod dicam.

eum studia mea maximam partem converti deinde quod eius scripta fere omnia interrogationibus responsisque continentur. Accedit quod etiam magis eum commendat quia duo quibus interrogatur genera et sermo quotidianus et dialecticae quaestiones una hic oratione copulata spectantur. Quod nihilo minus non impedit quominus nonnumquam Platonis oratio ita assurgat ut cum tragicorum sermone similitudinem quandam prae se ferat. Habes igitur tria primaria interrogandi genera, quotidianum loquendi genus, disserendi rationem, tragici sermonis impetum. Denique hoc alicuius momenti esse puto quod Plato prosae orationis scriptor verum quod Atticorum proprium erat sermocinandi genus certiori auctoritate repraesentare putandus est quam poetae (Aristophanem excipio) qui plerumque vulgarem loquendi consuetudinem voluntate spernant, amplectantur insolita longeque repetita ut legentium animos a vitae quotidianae minutiis ad excelsiores regiones traducant. Neque eo minus cum nulla quae linguam spectat dissertatio comparatione plane carere possit, hic illic alios quoque scriptores veluti Homerum, Aristophanem, tragicos poetas, rarius scriptores Latinos citavi, ne nimis artis finibus argumentatio constricta esset. Quodsi tempus ac vires suppeditent spero fore ut futuro tempore alios quoque praeter Platonem scriptores ad interrogationum usum exquirendum accuratius inspicere mihi liceat. Sed etiam Platonis usum si hac dissertatione exhausisse mihi viderer, valde peccarem. Cum enim de universa interrogationum natura tum cum Planem pertractare coepi mihi perpauca tantum in aperto essent, atque inter legendum demum magis in dies scientia cresceret, initio permulta me aufugerunt quae postea mente jam robustiore facta non aufugissent. Quapropter minime is sum qui plurimas quae huc pertinent quaestiones me absolvisse audeam dicere; immo si pauca tantum quae ad linguae scientiam augendam alicuius momenti sint expediverim, vehementer laetabor.

Iam ut ad propositum accedam, rem mihi ita institui ut interrogationum in universum natura paucis distincta singula earum genera pertractarem atque ita ut genus pronominale a ceteris interrogationibus plane seiungerem. Quod quo iure fecerim, ex ipsa disputatione nisi fallor cognoscetur. Iam vero his duobus totius disputationis locis diversam demonstrandi rationem adhibendam existimavi: illic enim cum distincta pronominis nota quae a lingarum temporumque diversitatibus minime apta sit concederet ut quod totum genus attinet Platonis usum quippe nihil peculiare prae se ferentem neglegens exempla e media vitae consuetudine peterem, tamen primum harum interrogationum cum aliis interrogationibus coniunctio formularum quarundam usu fere contenta deinde genus rhetoricum non poterant non ipsis exemplis Graecis illustrari: qua in re praeter Platonem hic illic alios quoque scriptores adhibui psychologica argumentatione inde non divulsa. Aliter in posteriori parte[1]) res mihi instituenda esse videbatur: ibi enim primum psychologicas rationes atque universam generum descriptionem a singularum interrogationum usu particulis fere maximopere variis aliisque certis quibusdam locutionibus artissime adstrictum plane segregabo, deinde uni Platoni amplius me alligabo ne nimis vaga disputatio exsistat.

Priusquam autem ad ipsum propositum perveniamus, nonnulla

§ 2. de vulgaribus interrogationum descriptionibus

dicenda erunt. Ac primum quidem ut enuntiationum omnium secerni solent primariae a secundariis vel simplices a compositis, haud aliter interrogationum duo genera grammaticorum iudicio discreta exstant alterum rectarum alterum obliqua-

---

1) Hanc dissertationis partem ubi primum potestas data erit, in publicum edam.

rum. Iam Delbrück. et Windisch. evidenter docuerunt enuntiationes secundarias omnes si originem spectemus profectas esse a primariis enuntiationibus olim iuxta positis (v. Delbr. l. l. p. 90 sqq.). Quod quam vere iudicatum sit id quo amplius in genuinam singularum enuntiationum originem inquisitum fuerit, magis magisque perspicuum fore satis mihi persuasi. Sed aliud quiddam accedit quod ad subiunctionis si non originem de qua re doctiorum est diiudicare, at naturam certe determinandam alicuius mihi videatur momenti esse. Totum enim enuntiationum secundariarum genus quod Delbrück. duplex esse sc. aut pronomine relativo aut coniunctionibus notatum rectissime statuerit, si sententiam spectamus etiam aliter nisi fallor dividere licebit. Etenim enuntiatio quaeque secundaria cum primaria dupliciter copulata esse potest sc. aut ita, ut utriusque argumentum continuo vel loci vel temporis vel causae conexu inter se excipiatur aut ita ut continuatione illa sublata verbo finito enuntiationis primariae secundariae argumentum contineatur. Itaque ut hoc utar enuntiatio finalis qualis est ‚edimus ut vivamus' valde diversam rationem habet ab hac enuntiatione ‚imperat ut hoc fiat'. Huiusmodi enuntiationes secundariae apto nomine „Inhaltssätze" vocantur. Ad totum hoc genus cui enuntiationes eas quas nostrates „abhängige Aussagesätze" nomine *κατ' ἐξοχήν* adhibito appellant, deinde permissivas, optativas, precativas atque imperatorias, denique enuntiationes timoris tribuendas puto, sine dubio etiam interrogationes obliquae pertinent. In his igitur omnibus coniunctionem inter enuntiationem primariam ac secundariam intercedentem cum non rerum naturam imitetur sed sola mentis cogitatione facta sit ab argumento laxiorem esse vix negari poterit. Vide enim in enuntiationibus talibus quales sunt *εἶπεν ὅτι ἀπώλετο*, *δείδω μὴ ἀληθὲς ᾖ*, concedo ut hoc facias cett. ei. g. quam facili negotio verba quae sunt ‚*εἶπεν*', ‚*δείδω*', ‚concedo' ab enuntiatis inde ut solenni veterum gram-

maticorum voce utar pendentibus disiungi possint. Iam idem in interrogationes obliquas valere perspicuum est; cf. talia qualia sunt *εἰπέ μοι πῶς ἔχεις;* ‚audin tu quid ait?' ubi sane modus indicativus etiam solutiorem conexum notat. Sed utut haec res sese habet illud certum est differentiam inter interrogationes rectas et obliquas intercedentem ad earum vim ac naturam dignoscendam nihil valere quia ipsius interrogationis argumentum idem est s. loquor: *εἰπέ μοι πῶς ἔχεις;* s. tantummodo *πῶς ἔχεις;* Itaque satis erit animum in interrogationes rectas configere, missas facere nisi hic illic occasione data interrogationes obliquas.

Ut igitur distinctionem illam mittamus, qui hucusque artem grammaticam libris in lucem editis docent, ii duplicem fere in modum interrogationes dividunt sc. aut speciem grammaticam spectantes in duo (vel tria) genera; alterum earum quae sine certa aliqua nota solo accentu efferantur, alterum earum quae peculiarem interrogandi notam exhibeant eamque aut particulam ut Graecorum *ἆρα*, Latinorum ‚num' cett. aut pronomen aliquod interrogativum s. adjectivum s. adverbium (veluti K. W. Krüger in gramm. Gr. § 64, 5) quae divisio per se minime falsa de interrogationum natura nos nihil docet; aut diversae significationis ratione habita interrogationes ad tota enuntiata spectantes (Satzfragen) ab iis quae ad unam tantum vocem pertineant (Wortfragen) discernunt (veluti Kühnerus alii) idque ita ut hae cum interrogationibus pronominalibus concidant, illae reliquas interrogationes s. particulis s. solo accentu notatas complectantur. At vero haec divisio etsi nonnihil veri continet a principio falsa est. Primum enim pronomine interrogativo adhibito non vox aliqua quaeritur sed iudicii pars ad sententiam explendam desiderata quae nihil impedit quominus etiam enuntiatio esse possit ut si roganti mihi ‚Quodnam est initium Aeneidis?' respondetur: ‚arma virumque cano et q. s.' Quin compluria simul iudicii membra pluribus pronominibus interrogativis una interrogatione consociatis rogari

possunt. Quod interrogandi genus etsi in plerisque linguis rarius occurrit in Graeco quidem sermone usitatissimum esse neminem fugit (*τίς τίνα βλάπτει*; similia). Sed quod his interrogationibus aliquo certe iure nomen quod est „Wortfragen" vindicari quia numquam totum iudicium sciscitentur facile concesserim hoc de altera interrogationum classe minime concedo quippe quae, id quod pro earum nomine (Satzfragen) facile exspectaveris, nequaquam totis enuntiationibus respiciendis adstrictae sint, sed haud minus singula iudicii membra spectare queant. Quis enim negarit aliquantum differre utrum interrogationem talem qualis est ‚Num pater hodie advenit?' totam pari vocis contentione pronuntiem an unum aliquod vocabulum s. hoc ‚pater' sit s. ‚hodie' accentu distinguam. Ibi enim totum enuntiatum num verum sit nescio, hic de una illa notione tantum dubitanter haereo. Sed haec etiam clariora elucescent quando ad singula ratione atque usu illustranda progressi erimus; nunc quomodo rectius interrogationum genera describantur videamus. Priusquam vero hoc munus aggrediamur pauca certe

§ 3. de interrogationum in universum natura ac generibus

dicenda erunt. Ac rectissime Delbrück. (l. l. p. 74) unamquamque interrogationem contentionis cuiusdam animi qua cogitationes certum quendam finem appetentes violenter reprimantur expediendae causa edi statuit. Quod autem idem vir doctus contendit, ut interrogatio statuatur, non solum cogitationum multitudinem quandam earumque contentionem, sed etiam alteram unde quaeratur personam requiri, ceterum suo iure monens si quis se ipse interroget etiam in hoc duas quodammodo personas statuendas esse, hoc mihi minus recte videtur disputasse. Nimirum quicunque interrogat id unum agit ut cogitationum libero progressu impeditarum vi

quam celerrime relaxetur eamque animi affectionem sermone exprimit i. c. responsionem flagitat. Hoc plerumque ita fieri, ut ille alterum aliquem hominem unde id quod desiderat sibi suppeditet alloquatur concedendum est, necessarium esse praefracte negandum. Etenim desiderium illud cogitationum cursum vehementer restrictum solvendi tam vehemens esse potest ut etiamsi omnino desit qui respondeat tamen interrogetur, neque totum hoc genus cum nihil habeat quod verarum interrogationum naturae repugnet, si quid video, cum Delbrückio ad interrogationes rhetoricas referri poterit. Quodsi enim exempli causa imperator aliquis in summo certaminis discrimine socii alicuius copias auxiliares exspectans sollicite interrogat: ‚Num illi promisso stabunt?' s. hoc ore exclamat s. secum tantum in animo volutat, vel si cui amico subtilem aliquem ac spinosum scientiarum locum explicaturus haec profero: ‚Quanam ratione tibi hoc facillime illustrabo?' nonne hae verae interrogationes existimandae sunt: quippe quae summa vi responsionem exigant, etiamsi desit qui illam praestet? Quapropter caveamus ne tales interrogationes ad rhetoricas relegemus siquidem in his omnino aliquid inesse debeat quod propriae interrogandi naturae contrarium sit i. e. quod responsionem non exigat, sed spernat. Quodsi eas interrogationes quae non certam aliquam personam appellant in rhetoricis collocamus, ubinam iis locus dabitur quae interrogationum speciem prae se ferentes re vera interrogationes omnino non sunt? Quamquam confiteor rhetorici in universum notionem cum ubicunque a grammaticis hominibus adhibeatur semper incerti aliquid ac volubile secum ferat, psychologorum opera longe etiam distinctius definiendam esse. Ut vero summa argumentationis meae repetatur hoc pro certo habeo in quavis interrogatione primarium non esse alterius personae appellationem, sed desiderium responsionis animi molestiam removentis impetrandae. Atque id ipsum desiderium potissimum illud

erat quod accentum interrogationis cuiusque proprium procrearet qui in extrema enuntiatione assurgens luculentissime molestam illam contentionem exprimat animi in medio haerentis sollicitateque id agentis ut quam proxime sibi satisfiat i. e. respondeatur. (cf. Delbrück. l. l. p. 75. Westphal. Hist. philos. Gramm. d. dtsch. Spr. p. 11, denique Kvičala, Untersuch. auf dem Gebiete der Pronom bes. des Latein. Wien, 1870, ad quem libellum oratio mea mox redibit.) Accentus igitur interrogandi proprius qui interrogationum quoad auribus percipiuntur speciem enuntiationibus affirmativis plane contrariam reddit clarissimum totius generis signum est in omnibus linguis aeque statuendum. Quae autem reliquae interrogationum notae exstant, pronomina interrogativa, certae quaedam particulae, denique vulgati verborum ordinis inversio, ea omnia aut non omnium interrogandi generum aut non omnium linguarum communia sunt.

Quoniam interrogationem in universum naturam definivi, iam ad earum genera ratione distinguenda transeundum erit. Delbrück. igitur (l. l. p. 75) pro cogitationum impeditarum diversa conditione iure suo duo genera primaria discernit inter se prorsus dissimilia quae in nostrati sermone appellat „Bestätigungsfragen“ et „Verdeutlichungsfragen“. Ibi quidem id quod cogitetur etsi per se integrum sit neque ullo membro careat, tamen in medio suspensum haerere, quia nesciatur utrum id cum sententia vel alterius cujusdam vel omnium h. e. cum rerum natura consentiat; hic cogitationem non omnibus partibus absolutam esse, sed ab altera parte claram, ab altera obscuram. Illas enuntiationes a principio nullis institutas fuisse notis nisi omnium interrogationum communibus quibus postea demum aliae sc. singulares quaedam voculae, deinde inversus verborum ordo accessissent, harum vero certum quoddam ad eam iudicii partem quae desideretur definite significandam signum esse proprium sc. pronomen interrogativum. Haec Del-

brückii quod universam sententiam attinet sine dubio recta tamen acutius nobis describenda ac copiosius explicanda erunt. Unum moneo duobus illis generibus accedere tertium sc. genus disiunctivum, quamquam hoc per se medium quendam inter illa locum obtinens cum altero genere quod Latino nomine affirmativum vocari potest (Bestätigungsfragen) artiori vinculo coniunctum esse infra illustrabitur. Habemus igitur tria interrogationum genera sc. primum pronominale s. determinativum (quod nomen ad huius generis naturam exprimendam maxime idoneam esse infra monstrabo) altero loco affirmativum (quamquam non nego nostram vocem „Bestätigungsfragen“ rem distinctius exprimere) tertio loco genus disiunctivum quod sane profiteor simul quoque cum altero interrogationibus pronominalibus opponi posse: quam rationem ipse in hac dissertatione amplectendam existimavi. Sed ad ipsam rem aggrediamur.

De singulis enuntiationum interrogativarum generibus.

Pars prior: De interrogationibus pronominalibus s. determinativis.

Caput I: De veris interrogationibus pronominalibus.

§ 4. De interrogationum pronominalium natura.

Primo igitur loco eas interrogationes pertractandas mihi proposui quas Delbrück. „Verdeutlichungsfragen" appellat, nos determinativas s. Germanico nomine „Bestimmungsfragen" quae quidem pronomine interrogativo a ceterarum diversitate primo obtutu facile distinguendae sine dubio etiam interrogationum pronominalium nomine rectissime appellantur. Quarum vis ac natura ut celerius percipiatur illico exempla afferre licet e media vita petita quibus res ipsa illustretur. Fingas tibi hominem aliquem qui conclave suum ingrediens librum certo quodam loco antea a se collocatum desiderat. Hunc satis probabile est exclamaturum esse: ‚Quis mihi librum illum hinc removit?' Quem paulo ante ibi viderat eum non jam videt; itaque concludit cum nulla res sponte moveatur ne librum quidem alia ulla ratione nisi ab homine aliquo motum esse. Iam vero is ipse homo quem desiderat cum ei desit, fieri vix potest quin cogitationibus libero cursu prohibitis molestiam inde factam propulsurus interroget. Neque vero alteram statim personam unde id quod vult comperiat alloquatur necesse est;

immo nova illa re adeo excitari potest, ut paene invitus sola cogitationum vi adductus interrogationem mittat. Quamquam animo ad pristinam tranquillitatem redintegrato consentaneum est eum alterum aliquem unde responsionem sibi satisfacientem exspectet appellaturum esse. Hoc igitur non potest non ab omnibus rem sincere deliberantibus concedi interrogationi illi certam iudicii conclusionem re vere facta nixam tempore anteire. Res scilicet haec est: Liber remotus, iudicium hoc: ‚aliquis librum hinc removit', unde interrogatio fit: ‚Quis librum hinc removit?' Desiderat igitur qui interrogat unam aliquam qua maxime eius ad sententiam explendam intersit iudicii partem idque tamen non dubitans utrum illa quae sibi deest pars omnino exstet necne, sed pro certo iudicans eam alicubi certae cuidam s. hominum s. rerum societati interesse. Nimirum ille qui librum desiderans interrogavit: ‚Quis librum removit?' hominem flagitavit, non rem, quia libri removendi auctorem non posse esse nisi hominem aliquem iudicabat. Poterat idem familiae sociis convocatis sic quoque interrogare: ‚Quis vestrum librum removit?' qua interrogatione hoc significasset se unum ex illorum numero ceteris hominibus exceptis illud fecisse suspicari. Poterat denique tertio modo haec verba mittere: ‚Quomodo liber hinc remotus est?' Neque enim ita aliud quidquam voluisset nisi libri remoti causam i. e. subiectum non grammaticum quidem, sed logicum; at vero hoc modo non iam solis hominibus animo se applicuisset, sed, ut ita dicam, spatium, ubi id quod desideraret sibi videretur quaerendum esse, amplioribus quodammodo finibus circumscripsisset, haud ignorans quidem res non solum hominum voluntate, sed etiam necessitate naturae posse moveri atque immutari. Responsum igitur toto hoc genere ita fit, ut in rerum quarundam quarum unaquaeque id quod desideratur esse possit multitudine ea ipsa res definiatur quae illud re vera sit. Iam singula huius generis admodum varia sunt. Etenim enuntiationis interrogativae ea pars quae non

desideratur sed certa est potest primum illius ipsius subiectum et praedicatum complecti, veluti cum quaerit aliquis: ‚Quo profecturus est familiaris noster?‘ cui interrogationi hoc certum iudicium subest: ‚Familiaris profecturus est‘. Sed ne in illo quidem quod supra proposuimus exemplo diversa ratio statuenda erit, quoniam iudicium ibi hoc erat ‚Liber remotus est‘. Quodsi nihilominus ibi subiectum anquirebatur, hoc eam explicationem habet quod in tali enuntiatione qualis est ‚Aliquis librum removit‘ si logicam rationem spectamus, non unum iudicium inest, sed duo sc. primum hoc: ‚Liber remotus est‘, deinde hoc ‚aliquis removit‘. Iam vero potest quoque fieri ut ipsum aut subiectum (qua in re tantum enuntiationes respicio quae unum subiectum logicum exhibent) aut praedicatum desideretur. Atque si subiectum quaeritur iudicium id quod interrogatio praesumit ipsa enuntiatione interrogativa continetur veluti interrogationem quae est: ‚Quis ibi cantat?‘ iudicium stabile hoc praecedit: ‚Ibi cantatur‘, ubi mutatio verbi activi in passivum notionem cantandi non tangit. Paullo aliter res sese habet si praedicatum anquiritur velut in interrogatione hac: ‚Quid quercus est?‘ Profecto etiam hanc interrogationem non potest non iudicium praecedere; verum hoc non ipsa enuntiatione interrogativa continetur, sed inde eruendum demum est. Concluditur enim hic sic fere: Omnes quaecunque exstant res s. in rerum natura spectantur s. hominum tantum opinionibus effictae sunt, certis quibusdam generibus subsumuntur; ergo etiam quercus certi cuiusdam generis erit. Neque vero quemquam fugit iudicium quod hic interrogationem praecedit (quercus est aliquid) longe vagius esse quam in reliquis quae attuli exemplis. Praedicatum enim cum primaria cuiuslibet enuntiationis pars sit, si incertum est, fieri non potest quin totum iudicium infiniti aliquid ac vagi recipiat. Quamquam ne hic quidem dissimilitudines quaedam neglegendae erunt. Nam interrogationi tali qualis est: ‚Quem colorem nix

habet?' cui respondetur: ,nix alba est' iudicium subest paullo definitius hoc: ,nix colorem aliquem habet'. Etsi vero ubi praedicatum anquiritur peculiaris quaedam ratio statuenda est, tamen ea naturam harum interrogationum nequaquam tollit: si enim quercum rogo quidnam sit ex infinitis omnium rerum generibus id promptum volo ad quod quercus pertineat. Totum igitur hoc interrogationum genus quo, ut imagine ex mathematicorum regionibus petita utar, in spatio aliquo quod notum est punctum aliquod quod ignotum est interrogatur maximopere ab iis interrogationibus, quibus num quid sit an non sit interrogatur, diversum esse quis est quin videat? Quae cum ita sint nomen quod est ,Bestimmungsfragen' etiam aptius esse putavi quam ,Verdeutlichungsfragen'. Neque enim eiusmodi interrogationibus omnino sine distinguendi ac subtiliter describendi aliquid facultate recte responderi potest. Quapropter in Pl. Gorg. p. 448c. Polus qui Chaerephonti sic interroganti: *νῦν δ'ἐπειδὴ τίνος τέχνης ἐπιστήμων ἐστὶ, τίνα ἂν καλοῦντες αὐτὸν* (sc. Gorgiam) *ὀρθῶς καλοῖμεν*; non pro huius interrogationis ratione respondeat, sed ambagibus factis ad illud extremum redeat Gorgiam pulcherrimam artem docere iure a Socrate castigatur quia quamvis praeclarus rhetor tamen respondendi artem nondum didicerit. Quamquam sane nomina ad ipsam rem haud ita magni facienda sunt. Satis est sibi persuadere inter has interrogationes atque eas quas cum Delbrückio rectissime „Bestätigungsfragen" appellamus aliquantum interesse.

Quam quidem differentiam Kvičala l. l. p. 7 mihi nimis videtur neglexisse. Is enim vir doctus, ut pronomen interrogativum ex indefinito originem cepisse demonstret, quam eandem sententiam Schömannus quoque profert (Redetheile p. 98 sqq.), cum unamquamque in qualibet enuntiatione vocem idoneam esse quae accentu distincta munere interrogativo fungatur tum vel maxime pronomen indefinitum ,kas, kis' quippe quod ignotum aliquid quod quaeratur

significet professus est. At minime recte, si quid video. Quicunque enim pronomine interrogativo adhibito interroget eum cum minime ignoret eam quam desiderat rem alicubi exstare, nihil agere nisi ut ab incerto quo de illa haereat statu ad certum quendam procedat, iam ex iis opinor quae disputata sunt satis intellegitur. Qua de causa pronomen interrogativum tantum abest ut indefiniti notioni propinquum esse possit, ut prorsus contra definitum aliquid significet quod quis assequi studeat. Nulla igitur ratione id quod Kvičala credit ex interrogatione tali qualis est: ὁ ἀδελφὸς εἶπέ τι; proficisci poterat interrogatio ὁ ἀδελφὸς εἶπε τίς. τί ὁ ἀδελφὸς εἶπε; Quicunque enim hanc interrogationem mittit is illud quod est ὁ ἀδελφὸς εἶπέ τι omnino non quaerit, sed sumit ac pro stabili iudicio menti infixum habet.

Age vero qua ratione omnino cogitari potest hominibus universam illam indefiniti notionem priorem exstitisse quam certam interrogativi? Quid enim? homines litterarum eruditione nondum culti, qui rerum origines atque mutuas inter se rationes omnino nescirent, nonne necesse erat sescenties novum aliquid spectantes tale aliquid exclamare quale pronomine interrogativo exprimeretur? Neque tamen hoc impedit quominus interrogativi notio non solum cum indefiniti sed etiam cum demonstrativi notione artissime cohaereat. Etenim si hominem nobis informamus qui vix linguae munere instructus non tam integris enuntiationibus quam continuis exclamationibus quae sentit proferat, nonne, obsecro, in huius conditionem vel maxime quadrat, si nova aliqua re ictus primum summa cum admiratione interrogat: ‚Quid?‘ deinde si alter aliquis adsit quem attendere velit eadem voce ibi certum aliquid esse cuius tamen explicationem omnino non habeat indicat, denique idem mirificum spectaculum cum tertio aliquo qui non aderat ita communicat ut se aliquid vidisse contendens tamen quidnam hoc fuerit omnino definire nequeat? Nimirum illud ‚Quid?‘ nondum integra interrogatio aestimanda est, quoniam homo mirifico illo adspectu attonitus

non tam ut comperiat quid illud sit interrogat quam stuporem animi illa voce exprimit. Atque haec si profero, a meis partibus stare mihi videtur Curtii praeceptoris iudicium qui (Kuhn's Ztschr. f. vgl. Sprachf. Bd. VI., p. 93) omnes stirpes pronominales olim videri demonstrativas fuisse professus haec addat: „Vielleicht dürfen wir sagen, dass ta mehr auf ein Thatsächliches, ja und ka mehr auf die Qualität hinweist, doch so, dass ja seine Hauptanwendung im Ausdruck der Bezüglichkeit findet, ka eine gewisse Verwunderung einschliesst, welche sich bald als Ausruf, bald als Frage manifestirt.“ Ceterum non is sum qui difficilem de pronominis interrogativi origine quaestionem iis quae protuli diremtam esse putem, sed Delbrückio plane assentior qui (p. 76) hoc munus ampliori dissertationi de stirpe pronominali ka instituendae tradit. Attamen illud haud iniuria contendere posse mihi videor a Kvíčala minime comprobatum esse pronomen interrogativum ex indefinito originem cepisse, cum haec notio ab interrogationum pronominalium natura prorsus discrepet. Unde nequaquam id quod Kvíčala opinatur consequitur pronomen relativum ex interrogativo profectum esse; nam post egregiam Windischii de pronomine relativo disputationem (Curt. Studien Bd. II), nemo, opinor, dubitabit quin pronomen demonstrativum anaphorici notione indutum enuntiationes relativas procreaverit.

§ 5. De ratione inter primam atque alteram personam intercedenti.

Quoniam interrogationum pronominalium s. determinativarum naturam a ceterarum interrogationum diversitate acute distinguendam descripsimus, quamquam hoc etiam planius evadet cum de genere affirmativo disputaverimus, proximum est, ut in rationem eam quae inter primam atque alteram personam intercedat in interrogando inquiramus. Quamquam enim supra professus sum alterius appellationem

ad vere interrogandum non esse necessarium, tamen per se patet cum omnem loquendi tum maxime interrogandi consuetudinem plerumque inter duas personas conferri. Iam si duos homines nobis ante oculos collocamus alterum interrogantem alterum respondentem unaquaeque interrogatio quodammodo duplex fiet. Quae enim interroganti cuique accidit animi affectio qua desiderio certae alicuius rei impetrandae conflagret eam alteri quoque qui interrogatur quamvis minuto temporis momento accidere statuendum est. Veluti cum mater filium sciscitata erit: ‚Quando pater domo exiit?' primum etiam filius se ipse interrogabit vel in memoriam redibit quo tempore id factum sit, deinde si sciet respondebit, si minus, remanebit utrique et matri et filio interrogatio responsum flagitans quidem, sed non statim impetrans.

Haud raro etiam usu venit ut altero aliquo praesente interrogationes pronuntiemus idque tamen non ita, quasi ab illo e vestigio responsum exspectemus, sed id tantum agentes ut alter quoque animum ad interrogationem aliquam quae responsionem flagitet advertat. Quodsi ita interrogamus illum quodammodo excitamus ut simul nobiscum quaestionem aliquam expediendam suscipiat vel etiam communem utriusque sensum effingimus. Sic cum duo homines captiosam aliquam quaestionem solvendam susceperunt facile fieri potest ut alter interroget: ‚Quinam hanc difficillimam rem facillime enucleabimus?' Hic neutri solet responsio quae desiderium illud expleat illico praesto esse: neque vero hoc omnino ab alterutro exspectatur; immo interrogatio hic nihil aliud vult nisi id ut quam uterque pariter sentiat inopiam ea etiam ore exprimatur. Quod quidem genus haud raro apud Platonem occurrit plerumque formulis quibusdam ad commune opus suscipiendum incitantibus distinctum veluti in Theaet. 163c: *ἀλλ' ὅρα δὴ καὶ τόδε ἄλλο προσιὸν καὶ σκόπει πῇ αὐτὸ διωσόμεθα*; Gorg. 455 a: *φέρε δὴ ἴδωμεν τί ποτε*

καὶ λέγομεν περὶ τῆς ῥητορικῆς· ἐγὼ μὲν γάρ τοι οὐδ' αὐτός πω δύναμαι κατανοῆσαι, ὅ τι λέγω . . . et quae innumerabilia ei. g. sunt. v. infra § 6. cf. etiam ea quae C. F. Hermannus ‚de protasi paratactica' (Ind. lect. Gött. 1850 p. 17.) profert idem fere spectantia.

Sed tertia quaedam ratio relinquitur. Potest enim is qui interrogat eius ipsius quam quaerit rei notitiam nequaquam desiderare, sed id unum intendere, ut alter id quod pronomine deesse significatur iudicii membrum sua cogitatione inveniat. Neque enim aliud quidquam vult magister aliquis qui ex discipulo multa ideo quaerat ut quid ille didicerit cognoscat. Quod cum fit, concitata illa cogitationum vis ac desiderium interrogationis cuiusque proprium quidquid deest responsione explendi non tam in magistri quam in discipuli animo moventur. Quamquam ne magister quidem illo responsionis desiderio omnino caret, quia multum eius interest quid discipulus responsurus sit. Unde non potest non cum studio quodam ac desiderio ab ipso eo quo discipuli animus flagrat non ita diverso responsionem exspectare. Totus autem hic interrogandi usus ita tantum intellegitur, si unamquamque interrogationem quodammodo duplicem fieri sc. in interrogantis cuiusque non solum, sed etiam in respondentis animo statuimus. Iam quis non facile intellexerit de quo nunc agitur pronominale interrogationum genus ad alterius cuiuslibet scientiam expromendam eademque opera augendam ac corroborandam interrogationibus ceteris omnibus etiam longe esse aptius, cum id eam enuntiationis partem quae certa est firmum cogitandi fundamentum in quo alterius mens innitatur praebens totam animi diligentiam in unum quiddam quod in rerum quarundam multitudine usquam exstare constet expediendum configat. Accedit quod in pronomine interrogativo singularis quaedam vis inest animi ad novum aliquid attendendi ignotamque rem ut suam faciat cum omnibus eius faculultatibus quam celerrime evocandi.

§ 6. De vi attendendi in pronomine interrogativo notanda et de formularum pronominalium usu.

In omnibus linguis excultioribus facile animadvertitur pronomen interrogativum aptissimum existimari quod certis quibusdam formulis fere alligatum animum ad alteram aliquam quae sententiae summam complectatur interrogationem attendat. Qui usus apud Platonem tritissimus etsi plerumque formulis illis notissimis *τί δέ; τί δαί; τί οὖν;* e. q. s. s. adstrictus spectatur, tamen etiam integras interrogationes pronominales comprehendit. Quamquam hae praeter attendendi excitandique vim quam sicuti formulae illae praestant etiam alteram explicandi rationem habere possunt; sc. incrementum quoddam scientiae in interrogantis animo notandum hoc modo luculentissime effingitur, si pronominis quod inscitiae alicuius documento sit loco iam certum quoddam quod ille inter loquendum demum ascivit argumentum subsequitur. cf. Politic. 279 a: *τί δῆτα παράδειγμά τις ἂν . . σμικρότατον παραθέμενος ἱκανῶς ἂν εὕροι τὸ ζητούμενον; βούλει πρὸς Διός, ὦ Σ., εἰ μή τι πρόχειρον ἕτερον ἔχομεν, ἀλλ' οὖν τήν γε ὑφαντικὴν προελώμεθα;* Phaedr. 234 c: *τί σοι φαίνεται ὁ λόγος; οὐχ ὑπερφυῶς τά τε ἄλλα καὶ τοῖς ὀνόμασιν εἰρῆσθαι;* ubi Phaedrus cuius haec verba sunt se altera interrogatione quodammodo corrigit opinans quidem vix dubium esse quin Socrates haud minus quam ipse admiratione illius orationis flagret. Aliis locis attentio alterius magis conspicitur: cf. Gorg. 475 b *φέρε δὴ πῶς ἐλέγετο νῦν δὴ περὶ τοῦ ἀδικεῖν καὶ ἀδικεῖσθαι; οὐκ ἔλεγες τὸ μὲν ἀδικεῖσθαι κάκιον εἶναι, τὸ δὲ ἀδικεῖν αἴσχιον;* Quamquam si hoc vult scriptor, certas formulas pronomine interrogativo insignitas quae propria sententia destitutae id unum agunt ut animum ad insequentia promptum reddant praefert. Quarum formularum usitatissimas nonnullis certe exemplis prolatis apponere licet. Ac primum formulae *πῶς λέγεις; πῶς φής;* e. q.

s. s. saepius occurrunt: cf. Symp. 214 d. *πῶς λέγεις; δοκεῖ χρῆναι, ὦ Ἐρυξίμ.; ἐπιθῶμαι τῷ ἀνδρὶ καὶ τιμωρήσωμαι ὑμῶν ἐναντίον*; cf. Rep. 569 b. Lach. 200 d. et cet. cf. etiam *πῶς ἔχεις πρός* . . . Rep. 329 c. **πῶς ποιῶ**; Euthyd. 295 b. *πῶς ποιοῦμεν*; Symp. 214. a. e. q. s. s. Sed longe etiam frequentior usus est formularum **τί δέ** et **τί οὖν**; quibus accedunt minus usitatae formulae *τί δαί*; *τί δή*; *τί δῆτα*; *τί δὲ δή*; *τί δήοὖν*; (cf. Symp. 250 a) *τί οὖν δή* (Crat. 392 a) *τί δαὶ δή*; (Crat. 423 e). Quarum usum maximopere varium accuratius disquirere ab hoc loco alienum est; illud tantum moneo earum vim ad animum excitandum idoneam singulis locis admodum diversam esse. Atque imprimis *τί δέ*; et *τί οὖν*; vim interrogativam aliquoties loquendi usu adeo hebetatam exhibent, ut vix a simplicibus particulis *δέ* et *οὖν* distingui queant. Etenim saepenumero id unum videntur praestare ut singula argumentationis alicuius membra inter se adiungant aliis formulis pronomine carentibus immixtae veluti Charm. 159 c. sqq. ubi Socrates Charmidi, qui quid *σωφροσύνη* sit rogatus respondisset: *τὸ κοσμίως πάντα πράττειν καὶ ἡσυχῇ*, multis quibus virtutem illam celeriter agendo contineri monstretur occurrens singula quibus Charmidem interrogat hoc modo inter se asserit: S. *πότερον σὖν κάλλιστον ἐν γραμματιστοῦ τὰ ὅμοια γράμματα γράφειν ταχὺ ἢ ἡσυχῇ*, Ch. *ταχύ*. S. *τί δ' ἀναγιγνώσκειν; ταχέως ἢ βραδέως*; Ch. *ταχέως*. Iam quae insequuntur membra has exhibent formulas: *καὶ μὲν δή* . . ; deinde *τί δέ*; subiuncta interrogatione, denique *δὲ* . . ; cui conclusio *φαίνεταί γ' ἄρα ἡμῖν* . . subsequitur. Deinceps cum a rebus corporeis ad bona animi transeatur nova series incipit cuius membra his formulis distincta inter se excipiuntur: 1) *τί δέ*; subiuncta interrogatione. 2) . . *δέ* . . *οὐ* . . 3) *τί δέ*; iterum 4) . . *δέ* . . *οὐ* . . ; iterum 5) *οὐκοῦν καὶ* . . ; 6) *ἀλλὰ μήν* . . ; quibus peractis Socrates summam comprehendit: *οὐκοῦν πάντα ἡμῖν* . . ; Similiter *τί οὖν*; cum *οὐκοῦν* . . ; aliis eius-

dem generis consociatur: cf. Politic. 260 d. Cum igitur in eiusmodi formularum usu vim interrogativam paene exstinctam videamus neque vix aliud quidquam iis efficiatur nisi ut orationis transitum indicent, aliis locis frequentibus nihil de excitandi potestate detractum exhibent. Quod quidem vel maxime tum fit cum qui interrogantis partibus fungitur cum animi admiratione quadam ad insequentis interrogationis argumentum attendit utpote quod vel ab eo quocum sermonem confert vel ab hominibus in universum non recte disputari censeat. cf. Rep. 390 a. ubi Plato poetas castigans cum locum quendam Homericum laude extulisset ad alterius loci reprehensionem hoc modo transit: *τί δέ; τὰ τοιάδε*

οἰνοβαρές, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο . .

καὶ τὰ τούτων ἑξῆς ἆρα καλῶς . . ; Quamquam hoc loco si quis adversans non admirationem statuendam esse, sed verba simpliciter antecedentibus opponi iudicarit vix eius sententia refutari poterit. Hoc tantum monere licebit vim formulae *τί δέ;* ita aliquantum augeri, si interrogationis signum ante verba *τὰ τοιάδε* positum hoc loco retineamus neque infra demum collocemus; quod si fieret, ut pro innumerabilium exemplorum similitudine per se sane fieri potest, animus verba *τί δέ* celeriter percurrens statim ad id ipsum quod opponitur duceretur. Neque vero ab eo qui proxime sequitur loco: *τί δέ; ποιεῖν ἄνδρα τὸν σοφώτατον λέγοντα ὡς δοκεῖ αὐτῷ κάλλιστον εἶναι πάντων, ὅταν παραπλεῖαι ὦσι τράπεζαι σίτου καὶ κρειῶν* e. q. s. *δοκεῖ σοι ἐπιτήδειον εἶναι πρὸς ἐγκράτειαν ἑαυτοῦ ἀκούειν νέῳ;* affectus quidam animi abiudicari poterit quia hic gradatio ad locum praemissum facile animadvertitur. Sed exstant loci ubi animi concitatio quae etiam pronomen fortiori vi exornet non possit non agnosci veluti in Soph. 248 e: *τί δὲ πρὸς Διός; ὡς ἀληθῶς κίνησιν καὶ ζωὴν καὶ ψυχὴν καὶ φρόνησιν ἦ ῥᾳδίως πεισθησόμεθα τῷ ὄντι μὴ παρεῖναι μηδὲ ζῆν αὐτό . . ;* ubi praeter iuris iurandi formulam, qua *τί δέ . . ;* magnopere exaggeretur necesse est, voces *ὡς ἀληθῶς* et *ἦ* notandae

sunt quae inter se nonnullo spatio diremtae ita etiam magis auribus percipiantur. Omnibus vero eiusdem notae locis s. τί δέ; τί δαί; rell. formulae nudae exstant s. additamentis quibusdam amplificatae apte conferri potest formularum, ‚quid enim?‘ ‚quid igitur?‘ ‚quid ergo?‘ apud Latinos similis usus (cf. Seyffert. Schol. Lat. I² p. 99. sqq.), cum simplex, quid . . ?‘ haud raro sicuti τί δέ; sqq. simpliciter vel animum ad insequentia attendat vel orationem tantummodo ad nova transferat: cf. Plaut. Trin. v. 330 (Fleckeisen) Quid is? egetne? Capt. v. 282; Quid pater? vivitne? . Cf. etiam formulae quid ais? apud comicos Latinos simillimum usum.

Iam vero ut ad Platonem revertamur τί δέ; rell. formulae etiam aliud quiddam praestare possunt sc. ubi interrogantis admiratio non tam insequentem interrogationem respicit quam antecedentia, inauditum aliquid quod alter pronuntiavit reiciens. Sane quia interrogatio subiuncta cum admiratione quadam vel vituperatione ea quae ille proxime edidit repetere solet, plerumque fit, ut τί δέ; rell. uno tempore et praecedentia et insequentia spectent. Quae res his quae enotavi exemplis Platonicis explanetur: In Gorg. p. 461 d. Polus Socrati μακρολογίαν deprecanti hoc modo occurrit: τί δέ; οὐκ ἐξέσται μοι λέγειν ὁπόσα ἂν βούλωμαι; τί δέ; aeque usurpatum habes in Gorg. 447 b. 448 a. 461 b. 462 c. 466 b. Rep. 343 a. 374 a. 382 a. 450 b. Phaedr. 234 c. Phaed. 61 d. Euthyphr. 4 a. Lach. 185 e. Theaet. 168 e. Euthyd. 283 e. Soph. 235 e. τί δαί; Phaedr. 227 b. Ph. πεύσει (sc. Lysiae orationem) εἴ σοι σχολὴ προϊόντι ἀκούειν. S. τί δαί; (sic optimi codd. Herm. τί δέ;) οὐκ ἂν οἴει με κατὰ Πίνδαρον καὶ ἀσχολίας ὑπέρτερον πρᾶγμα ποιήσασθαι τὸ σήν τε καὶ Λυσίου διατριβὴν ἀκοῦσαι; Hic igitur Socrates formula τί δαί; adhibita verba Phaedri cum admiratione excipit, subiuncta deinde interrogatione etiam distinctius quid de illa re sentiat exprimit. cf. eandem formulam in Theaet. 148 c. Lach. 184 d. 195 e. Lys. 212 b.

Rep. 413 a. 506 c. Phaed. 61 c. Theaet. 148 c. Men. 73 a. *τί δέ*; habes in Protag. 351 c. *τί δῆτα*; Apol. 25 d. Legg. 789 a. Prorsus eadem ratione apud Plautum formulae „quid?“ et „quid ais?“ quas iam supra commemoravi vulgarem notionem immutant: cf. Capt. 556. Quid, tu autem etiam huic credis. cf. 717. 844. cf. 577: Quid ais, furcifer? tun natura te esse ais liberum? cf. Most. 183. cf. Cic. Tusc. I, 8, 17 all. Sed reliquas formulas Platonicas ad idem genus pertinentes alligemus. Ac primum *πῶς λέγεις*; sim. formulae quarum iam supra mentionem inieci notandae sunt: *πῶς λέγεις*; Symp. 201 e: *πῶς λέγεις, ὦ Διοτιμα; αἰσχρὸς ἄρα ὁ Ἔρως ἐστὶ καὶ κακός*; cf. Rep. 337 b. 426 d. Crat. 430 e. Phaedr. 227 d. Apol. 24 e. Phileb. 13 b. Euthyd. 204 c. Lach. 180 c. Lys. 207 e. 208 a. 212 b. Legg. 789 a. *τί φῄς*; Euthyphr. 2 a. Temp. praeter. habes in Legg. 626 e: *πῶς εἴρηκας, ὦ θαυμάσιε*; cf. Soph. El. 1220 *πῶς εἶπας ὦ παῖ* all. ej. g.

Denique formulae *τί τοῦτο*; *τουτί τί ἐστι*; et q. s. s. ad eundem usum pertinent cuius cum apud Platonem unum tantum exemplum inveni (sed cf. exempla infra p. 26, p. 44 sq. allata quae diversam rationem exhibent.) in Symp. 213 b. ubi Alcibiades Socratem iuxta se accubantem repente conspiciens exclamat: *ὦ Ἡράκλεις, τουτὶ τί ἦν; Σωκράτης οὗτος*; apud Aristophanem frequentiora exempla spectantur: cf. Acharn. v. 156 sqq. (Dind.) ubi Dicaeopolis Thraces in contionem intrantes novo eorum adspectu ictus his verbis excipit: *τουτὶ τί ἐστι τὸ κακόν*; deinde cum Theorus respondisset: *Ὀδομάντων στρατός*, nondum contentus pergit exclamare: *ποίων Ὀδομάντων; εἰπέ μοι τουτὶ τί ἦν; τίς τῶν Ὀδομάντων τὸ πέος ἀποτεθρίακεν*; cf. 284 Ran. 438, 658. Prorsus contrariam vim habet formula *τοῦτ' ἐκεῖνο* qua novum aliquid (*τοῦτο*) vix conspectum statim memoriae facultate cum altera re dudum nota (*ἐκεῖνο*) consociatur atque hanc ob causam cum gaudio quodam excipitur. Videntur hae formulae sumptae esse ex quotidiano

sermone; cf. Mart. Schanzium qui in Nov. Commentat. Platon. (Wirceb. 71) p. 16 sqq. de **τοῦτ' ἐκεῖνο** formula apud Platonem atque Aristophanem usitata diligenter agit.

In omnibus igitur quascunque extremo loco apposuimus formulis interrogativis videmus interrogationem animi s. admiratione s. terrore quibus aliquid aut dictum aut factum excipiatur excuti. Quae res nobis aptum transitum praebet ad novum quendam locum ratione inquirendum.

§ 7. De interrogationibus concitatiore animi affectu distinctis non rhetoricis.

Cavendum nimirum est ne cunctam earum interrogationum s. certis formulis alligatarum s. alium in modum conformatarum classem quae concitatiori animi affectu pronuntientur, hanc ob causam ad interrogationes rhetoricas referamus. Quae tantum abest ut a verarum interrogationum responsum desiderantium ratione abhorreant ut id etiam vehementiori vi flagitent. Neque enim Clytaemnestra in Soph. El. 673 sqq. quem locum totum hic apponere licet: Paed. *τέθνηκ' Ὀρέστης· ἐν βραχεῖ ξυνθεὶς λέγω.* El. *οἲ 'γὼ τάλαιν', ὄλωλα τῇδ' ἐν ἡμέρᾳ.* Cl. *τί φῄς, τί φῄς, ὦ ξεῖνε, μὴ ταύτης κλύε,* responsionem neglegit sed vehementissimo ardet paedagogi exaudiendi desiderio. At nuntium eum quem desiderat iam accepit; cur igitur interrogat? Hoc animi natura satis perspecta non difficile est explicatu. Nimirum quicunque nova aliqua re s. conspecta s. audita mirificum quantum commotus talia edit qualia sunt: ‚Quid hoc?‘ ‚Quid dicis?‘ e. q. ei. g. s. is illam rem quamquam ipsis oculis vel auribus percepit, tamen ceteris animi cogitationibus utpote ei maximopere repugnantibus nondum inseruit, itaque interrogat. Sic Clytaemnestra quoque cum Orestis imago ultoris olim adventuri sibi semper animo obversata esset nuntius ille ita nec opinatus venit ut eum primo auditu cogitationibus iis quibus assuevisset omnino conso-

ciare nequeat. Neque de reliquis quae attuli locis aliter iudicandum est. Immo hic omnino animus ad responsionem maxime est intentus. Quod idem ad ceteras quoque admiratione terroreque exceptis animi motus quicunque veris interrogationibus implicati sunt valet. Neque tamen negarim totum hoc genus a genuina interrogandi natura facile deflectere posse siquidem non responsio expetatur, sed animi commotio tantum hoc modo exprimatur: veluti si quis nova re subito conspecta adeo concutitur ac labefactatur, ut quae promit verba: ‚quid hoc!' non tam interrogantis sunt quam terrore correpti. Sic formulam *τί τοῦτο;* de qua proxime egi apud Platonem uno quidem loco ad id exprimendum adhibitam videmus: cf. Hipp. mai. p. 293 a. ubi Hippias Socratis argutis de pulchri natura interrogatiunculis quas ille alienum aliquem virum sibi obiecisse simulat paene oppressus cum denuo tale aliquid rogatus sit exclamat: *τί τοῦτο; βάλλ' ἐς μακαρίαν! τοῦ ἀνθρώπου οὐδ' εὔφημα, ὦ Σ., ταῦτά γε τὰ ἐρωτήματα* quibus verbis nihil exprimit nisi stuporem atque perturbationem animi de apte respondendo desperantem. Cf. etiam hominis inculti quem supra novas res extrinsecus sibi oblatas admirantem nobis finximus conditionem prorsus similem. Verum haec, si diversas singulorum locorem rationes reputas, paene innumerabilia vix satis intellegi possunt nisi universa interrogationum rhetoricarum natura satis perspecta. De quibus deinceps disputabitur cum pauca quidem de altero quodam interrogationum usu qui a rhetoricis interrogationibus acute distinguendus sit praemisero.

§ 8. De rhetorico interrogationum pronominalium usu ab interrogationibus vere rhetoris acute distinguendo.

Verae interrogationes cum alias tum ab oratoribus saepenumero perpetuae orationi ita inseruntur ut aut quotidiani sermonis similitudo ac veritas aut acriter pugnan-

tium inter se contentio exprimatur. Quae quidem interrogationes ad rhetoricum aliquid efficiendum adhibitae cum interrogationibus ipsa natura rhetoricis confundi non debent. Quapropter Seyffert. (Schol. Lat. I. p. 92 sqq.) iure suo fecit cum duas interrogationum classes in orationibus observandas segregavit nixus is quidem cum aliorum veterum scriptorum tum Ciceronis auctoritate (de or. III. § 203. cf. Partt. orat. § 49. Orat. § 137. Quint. II, 2, 6. Cornific. IV. 23, 33) qui Graecos *ἐρωτήματα* et *πύσματα* distinguentes secutus cum interrogationes vere rhetoricas proprio interrogationum nomine exornet eas de quibus nunc ago percontationes appellat (cf. etiam R. Volkmann, Hermagoras od. Elemente der Rhetorik p. 272). Cuius generis quod totum pertractare ab hac disputatione alienum est exempla invenies apud Seyffertum (l. l. p. 94 sqq. coll. p. 149 sqq.) qui recte eius duo quasi capita distinguit, alterum ubi orator interrogando in ipsum adversarium invehatur ut in Verr. V. § 67: ,Vivum tu archipiratam servabas. Quo? Per triumphum, credo, quem ante currum tuum duceres.' e. q. s., alterum ubi s. adversarius s. alius quislibet interrogans ponatur cui orator respondeat quod genus sedatius atque minus ad impugnandum quam ad demonstrandum aptum sit. Quorum generum quod posterius tantum ac ne id quidem frequenter apud Platonem occurrit, hoc sane nihil mirifici habet. Exempla tibi haec suppedito. Apol. 40 b: *τί οὖν αἴτιον εἶναι ὑπολαμβάνω; ἐγὼ ὑμῖν ἐρῶ* . . . cf. Protag. 343 b. Vel maxime iis locis hoc genus animadvertitur ubi oratio ad novum aliquid transit: cf. Crat. 413 d. *μετὰ γὰρ δικαιοσύνην τί ἡμῖν λείπεται; ἀνδρείαν οἶμαι οὔ πω διήλθομεν*; cf. Phaedr. 237 d. Apol. 19 b. Paullo concitatioris generis hi loci sunt: Protag. 326 e. Apol. 33 b. concitatissimus facile eorum quos enotavi in Apol. 36 e. scriptus exstat: *τί οὖν εἰμι ἄξιος τοιοῦτος ὤν; ἀγαθόν τι, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι.*

Verum enimvero ne totum hoc genus tam artis finibus

circumscriptum esse opinemur; neque enim cunctus formularum τί δέ; τί δή; etc. quem supra notavi usus inde disiungi poterit neque non reliqua interrogationum genera pronomine orbata, siquidem similiter usurpantur, eodem pertinent. Cum autem, ut, quam late pateat ille usus, cognosceretur, singulari disputatione opus esset, veritus ne iam longius evectus sim satis de eo dictum puto ac totam illam quaestionem missam facio. Atque nunc tandem eo ducta est quo iam diu tendit oratio ad interrogationes vere rhetoricas. Etsi enim morosior aliquis iudex tum demum, cum veras interrogationes omnes absolvissemus tractari iustum esse arbitraretur, re accuratius perpensa multo etiam magis rationi repugnaret ac violentius fieret, si quo omnes interrogationes quae a pronomine incipiunt continentur vinculum discinderemus. Accedit quod quae illuc pertinet classis interrogationum rhetoricarum omnium maxime notabilis est. Quae cum ita sint primum quale totum hoc sit paucis explicetur; deinde ea quae pronominis notam exhibet pars accuratius perlustretur.

Caput II.

De interrogationibus rhetoricis cum universis tum pronominalibus.

§ 9. De generis plane rhetorici ac semirhetorici natura.

Primum igitur ut quidnam sit quo genus rhetoricum a veris interrogationibus dignoscendum sit describam, cum, quicunque vere interrogat id unum agat, ut responsionem adipiscatur ad id quod desiderat accommodatam, summo opinor iure eae interrogationes quae ita non ad responsum tendant, ut id ipsum iam secum comprehendant, rhetoricae appellandae erunt. Quod si recte iudicatum est, interrogationum pronominalium eae illuc referendae sunt, quibus qui interrogat desideratum iudicii membrum, quamquam aut omnino deesse aut certa responsione comprehendi non posse aut denique, si certa, ita luce clarius esse, ut interrogatione nequaquam egeat, minime ignorat, nihilo minus interrogat, unice id agens, ut quae interrogationi subest responsio vel alterius cuiusqam animo vel omnium hominum conscientiae eo expressius atque evidentius inculcetur. Cum igitur hae interrogationes tantum absit ut ex responsionis nanciscendae desiderio proficiscantur, ut contra aliquid manifestum esse neque addubitari ullo modo posse pro certissimo affirment, earum ne accentus quidem pro enuntia-

tionum interrogativarum proprietate ad extremum assurgit, sed affirmationum similitudinem secutus descendit. Neque vero minus totum hoc genus, etsi notam interrogationum maxime propriam reiciat, tamen ex veris interrogationibus redundasse, nisi hoc per se iam omnibus perspicuum esset quippe pronomine originem satis monente, inde optime intellegi posset quod inter duo haec genera inter se opposita tertium quoddam in medio exstat cum accentu tum argumento ab utroque diversum. Potest enim aliquis hoc modo interrogare, ut responsionem, etsi non prorsus repellat, tamen, aut omnino nullam exstare aut certam quandum quae sibi ipsi constet esse arbitratus, id ipsum accentu medium quendam inter interrogandum et affirmandam locum tenenti significet. Cuius generis a plane rhetorico genere diversitas, etsi omnibus quae ad totum hunc locum pertinent perlustratis demum ad unguem perspici poterit, tamen singulis certe exemplis illustretur. Socrates igitur cum in Criton. p. 44 c. amico praeter alias salutis causas hominum opinionem proferenti haec opponit: *Ἀλλὰ τί ἡμῖν, ὦ μακάριε Κρίτων, οὕτω τῆς τῶν πολλῶν δόξης μέλει; οἱ γὰρ ἐπιεικέστατοι, ὧν μᾶλλον ἄξιον φροντίζειν, ἡγήσονται αὐτὰ οὕτω πεπρᾶχθαι, ὥσπερ ἂν πραχθῇ*, sine dubio plane rhetorica interrogatione utitur utpote quamlibet responsionem quodammodo praecidens atque cur multitudinis ratio habenda sit causam quam *τί* pronomine indicetur omnino nullam inveniri firmissime asseverans. Attamen si in Theaetet. p. 196 d. ubi Socrates cum Theaeteto de scientiae notione disputat haec scripta leguntur: S. ... *ὅμως δὲ, πάντα γὰρ τολμητέον, τί εἰ ἐπιχειρήσαιμεν ἀναισχυντεῖν* Th. *πῶς;* S. *ἐθελήσαντες εἰπεῖν ποῖόν τί ποτ' ἐστὶ τὸ ἐπίστασθαι.* Th. *καὶ τί τοῦτο ἀναίσχυντον;* cui Socrates respondet audaciam eo contineri quod nondum quid scientia sit perspecto iam qualis ea sit exponere cupiant, Theaeteti interrogatio: *καὶ τί τοῦτο ἀναίσχυντον;* nimirum diversam quandam conditionem habet. Theaetetus enim hoc loco responsionem non

praecidit, sed vere interrogat curnam illud propositum impudens aestimandum sit, verumtamen ita, ut *τί* illud i. e. sanam talis iudicii rationem sibi nullam esse videri luculenter exprimat. Iam ad extremum ut id quoque oculis cernatur quodnam eiusmodi interrogationis a vera quae rhetorici notionem omnino respuat discrimen sit, fingas tibi hominem qui alterum aliquem secum consuetudine coniunctum audax aliquid commisisse certior factus, sed quidnam illud fuerit nondum sciens interrogat: *καὶ τί τοῦτο ἀναίσχυντον ἦν (ὃ ἐκεῖνος ἐποίει)*; Potest is quidem in interrogando summam animi affectionem ostendere; nihilo minus quamdiu illud *τί* usquam exstare confidit vera interrogatione utitur rhetorica vi intacta. Profecto singulis locis haud raro valde difficile esse tria illa genera accuratissime dirimere iam inde consequitur quia scripta legentibus verissimum accentus argumentum ad aurium iudicium revocari non potest, sed ex sententiae demum conexu erui debet. Hoc tamen non impedit quominus genera ipsa acriter distineantur quippe a natura inter se diversa. Ac tale aliquid Krazius quoque voluit qui in progr. gymn. Stuttgart. a. 1862 ed. de interrogationis rhetoricae in oratione obliqua apud Latinos modo grammatico egit; profert ille quidem magnam exemplorum copiam quae aperte in bina castra abeunt altera eorum ubi interrogatio quaeque rhetorica eius quamcunque repraesentat enuntiationis affirmativae structuram amplectitur s. ea accus. c. inf. s. coniunctivus est altera eorum ubi verarum interrogationum modo unice adhibetur coniunctivus. Quamquam veram eius quod hoc loco definiendum suscepimus generis naturam Krazius si quid video non satis perspexit. Etenim studet id ad veras interrogationes ablegare praeter alia haec potissimum proferens quae etsi veri aliquid continent tamen rem mihi non acu tingere videntur: (v. l. l. p. 6): In der That grenzen die verschiedenen Arten der Frage oft nahe zusammen. Denken wir uns z. B. jene Frage des Sokrates: glaubt ihr, dass ich den Tod fürchte?

nicht an die Richter oder an das Volk, sondern an seine Freunde in den letzten Stunden seines Lebens gerichtet, so kann sie gar leicht den Sinn haben: glaubt ihr denn in der That noch immer nach allem, was ich mit euch über Tod und Unsterblichkeit gesprochen habe, dass ich den Tod fürchte? Das heisst: wir haben alsdann nicht mehr wie oben einen Heischesatz in Form einer rhetorischen Frage, sondern eine wirkliche Frage vor uns. Diese hat zwar noch immer den Schein des Rhetorischen, sofern zunächst keine Antwort erwartet wird, was ja als das Kriterium der rhetorischen Frage gilt. Allein man darf diese Bestimmung nicht zu wörtlich nehmen. Eine Antwort wird doch auch in diesem, wie in vielen andern Fällen erwartet, nämlich eine stille, innere. Der Gefragte soll durch die an ihn gerichtete Frage entweder bewegt oder nachdenklich gestimmt werden, oder soll die Frage ihm einen Stachel ins Herz werfen und sein Gewissen schärfen, überhaupt als eigentliche Frage wirken e. q. s. Haec si in unum illud quod attulit exemplum quodammodo quadrant, toti generi tamquam eius propria tribui non possunt. Longum est exemplorum Latinorum a Krazio infra appositorum molem hoc loco examinare; sed ea celeriter percurrenti mihi videbantur facillime ad mediam illam quam statui conditionem posse revocari. Sed tempus erit diversa interrogationum rhetoricarum a pronomine incipientium genera s. integram rhetorici speciem prae se ferunt s. ad mixtum genus pertinent accuratius tractare.

De rhetoricarum interrogationum pronominalium generibus.

I. De eo genere quod negationem spectat.

§ 10. Sedatior animi status affectibus nequaquam tactus in interrogando regnat.

Quod primo loco tractandum nobis proposuimus interrogationum rhetoricarum genus, quo quae pronomine desideratur res aut omnino deest aut, si non omnino, secundum ipsius certe interrogantis iudicium i. e. ubi interrogatio vi rhetorica negationis loco ponitur, pro rerum humanarum diversitate et pro volubilibus animi conversionibus species exhibet inter se valde diversas. Quarum primum eam illustrare licet ubi aliquis docendi s. demonstrandi munere occupatus aliquid quod luce clarius sibi videtur quodque non posse non omnium consensu affirmari pro explorato habet profert. cf. in Symp. 179 a. Agathonis verba haec: καὶ μὲν δὴ τίς . . . ἐναντιώσεται μὴ οὐχὶ Ἔρωτος εἶναι σοφίαν ᾗ γίγνεται πάντα τὰ ζῷα; Theaet. 153 a: τίς οὖν ἂν ἔτι πρός γε τοσοῦτον στρατόπεδον (sc. poetarum ac philosophorum quorundam societatem) καὶ στρατηγὸν Ὅμηρον δύναιτο ἀμφισβητήσας μὴ καταγέλαστος γενέσθαι; Hic igitur interrogantis animum ne minima quidem dubitatio subit quin is qui pronomine τίς significatur omnino non exstet. At vero semirhetoricum genus ibi spectatur ubi interrogans quisque, etsi sibi satis persuasit aliquid non exstare, tamen non omnem dubitationem removit: cf. Rep. 492 d: S. τίνα οὖν ἄλλον σοφιστὴν οἴει ἢ ποίους ἰδιωτικοὺς λόγους ἐναντία τούτοις τείνοντας κρατήσειν; Gl. οἶμαι μὲν οὐδένα. Solent hae interrogationes paullo maiori gravitate quam plane rhetoricae pronuntiari, quia dubitatio se immiscet an alter tamen aliquid habeat quod opponat. cf. Rep. 366 b. ubi Adimantus qui iniustitiae partes suscepit, haec edit: κατὰ τίνα οὖν ἔτι λόγον δικαιοσύ-

νην ἂν πρὸ μεγίστης ἀδικίας αἱροίμεθ' ἄν; ἣν ἐὰν μετ' εὐσχημοσύνης κιβδήλου κτησώμεθα, καὶ παρὰ θεοῖς καὶ παρ' ἀνθρώποις πράξομεν κατὰ νοῦν, ζῶντές τε καὶ τελευτήσαντες ὡς ὁ τῶν πολλῶν . . λόγος. ἐκ δὴ πάντων τῶν εἰρημένων τίς μηχανή, ὦ Σ. δικαιοσύνην τιμᾶν ἐθέλειν ᾧ τις δύναμις ὑπάρχει ψυχῆς ἢ χρημάτων . . . ἀλλὰ μὴ γελᾶν ἐπαινουμένης ἀκούοντα; cf. 591 a. Lys. 215 b. Ceterum cavendum est ne alterius responsum, siquidem scriptum exstet, certam medii generis notam putemus qua id a plane rhetorico genere facile distinguatur. Namque etiam is qui interrogatione rhetorica appellatur si non respondere, attamen consensum suum voce exprimere potest. Cf. Rep. 608 c. ubi Socratem disputatione de iusta civitate peracta se summa adhuc virtutis praemia omisisse professum Glauco admiratus cum exclamasset: ἀμήχανόν τι λέγεις μέγεθος, εἰ τῶν εἰρημένων μείζω ἐστὶν ἄλλα, ille τί δ' ἄν, inquit, ἔν γε ὀλίγῳ χρόνῳ μέγα γένοιτο; πᾶς γὰρ οὗτός γε ὁ ἐκ παίδων μέχρι πρεσβύτου χρόνος πρὸς πάντα ὀλίγος πού τις ἂν εἴη. Iam quae insequuntur Glauconis verba: οὐδὲν μὲν οὖν non respondentis sunt sed alterius verbis assentientis.

Totum vero hunc de quo agimus sedatiorem usum ad sententiam aliquam vel ab omnibus partibus firmam vel nondum omni dubitatione sublatam pronuntiandam non apud Platonem solum, sed in libris docendi causa scriptis omnibus tritissime adhiberi cum per se pateat, licet eorum tantum quae hic saepius animadvertuntur dicendi generum specimina ex Platone sumpta proferre. Qua in re moneo ubicunque res per se clara fuerit me singula tantum exempla allegaturum esse. Ac primum notandum videtur comparativi notionem huius generis propinquum aliquid habere cf. quae in parte II. de vocibus comparativis ad negationem inclinantibus dicentur. Ne exemplis indigeas cf. Crit. 44 c.: καί τοι τίς ἂν αἰσχίων εἴη ταύτης δόξα ἢ δοκεῖν χρήματα περὶ πλείονος ποιεῖσθαι ἢ φίλους; itidem pronomen ἄλλος exhibetur cf. Rep. 522 b.: καὶ μὴν τί ἔτ' ἄλλο

λείπεται μάθημα μουσικῆς καὶ γυμναστικῆς καὶ τῶν τεχνῶν κεχωρισμένων; Formulam τί — ἀλλ' ἤ..; quae idem significare ac τί ἄλλο-ἤ..; in vulgus constat spectas Phaedr. 258 e.: ἐρωτᾷς εἰ δεόμεθα; τίνος μὲν οὖν ἕνεκα κἄν τις ὡς εἰπεῖν ζῴη ἂν ἀλλ' ἢ τῶν τοιούτων ἡδονῶν ἕνεκα; οὐ γάρ που...(cf. ἄλλο τι... ἤ..; in parte II). Deinde simplex τί; haud raro vocum copulatarum τί ἄλλο; partibus fungitur, imprimis in respondendi quibusdam formulis: τί γάρ; (quocum conferas nostrum „was denn?“ minus litterarum quam vulgaris loquendi consuetudinis proprium) cf. Phaedr. 258 d., etiam specie integra τί γὰρ ἄλλο; ib. 273 b. τί μήν; ib. 229 a ἀλλὰ τί μήν; Rep. 438 b. Sed etiam aliae respondendi formulae quibus pronomen ἄλλος non potest suppleri ex hac interrogandi specie sumptae sunt: πῶς γάρ; Rep. 425 b. καὶ πῶς; ib 455 e. πῶς δ' οὔ; Phaedr. 262 a. πῶς γὰρ οὔ; Rep. 338 d. Nudum πῶς; responsionis vice fungens uno tantum loco inveni: ib. 485 a. De πόθεν; cf. infra p. 40. Quamquam longe frequentius omnes hae formulae integrae alicui enuntiationi quae andecedentia aut confirmat aut restringit aut denique etiam exaggerat insertae occurrunt: Lys. 208 c.: S. ἢ οὐδὲ τοῦτο ἐπιτρέπουσί σοι; Lys. πῶς γὰρ ἐπιτρέπουσιν; Phaed. 94 a πῶς γὰρ ἔκ γε τῶν προειρημένων; Theaet. 155 e. S. χάριν οὖν μοι εἴσει..; Th. πῶς γὰρ οὐκ εἴσομαι καὶ πάνυ γε πολλήν; cf. Soph. 241 d. πῶς γάρ οὐ φαίνεται καὶ τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο τυφλῷ; Accedunt formulae: τί δ' οὐ μέλλει; Rep. 394 e. (cf. τί δ'οὐ μέλλομεν; ib. 494 b.) τί γάρ οὐ μέλλει; ib. 405 a. ἀλλὰ τί μέλλει; ib. 349 d. (cf. eandem formulam non in responsione exstantem Crit. 44 c.)

Sed ut formulas illas mittamus, aliae quoque locutiones in eo de quo disputamus genere apud Platonem haud semel occurrunt, quarum has enotavi; τίς μηχανή..; (cf. ἔστι τις μηχανή..; v. in part. II.) Rep. 533 c.: ᾧ γὰρ ἀρχὴ μὲν ὃ μὴ οἶδε, τελευτὴ δὲ καὶ τὰ μεταξὺ ἐξ οὗ μὴ οἶδε συμπέπλε-

3*

πλεκται, τίς μηχανὴ τὴν τοιαύτην ὁμολογίαν ποτὲ ἐπιστήμην γενέσθαι; cf. 366 b. Soph. 241 a. Phaed. 72 d. (semirh.) Parm. 138 d. Lys. 215 b. (semirh.) denique in respondentis partibus Theaet. 182 d. τί κωλύει; cum particulis: Phaed. 77 b. τί γὰρ κωλύει γίγνεσθαι μὲν αὐτήν … πρὶν καὶ εἰς . . . σῶμα ἀφικέσθαι, . ἐπειδὰν δέ . . ; cf. Theaet. 143 a. Crat. 408 d. Charm. 155 b. denique in responsione: Alcib. I. 113 e.

τί θαυμαστόν; in enuntiatione conditionali: Parm. 129 a εἰ . ., τί θαυμαστόν; cf. ib. c.

τί δεῖ; cum infinitivo vel genetivo Symp. 218 b. Σωκράτην δὲ αὐτὸν τί δεῖ λέγειν; cf. 217 c. Rep. 490 c. Alcib. I. 119 b. Phaedr. 241 e. καὶ τί δεῖ μακροῦ λόγου; περὶ γὰρ ἀμφοῖν ἱκανῶς εἴρηται. cf. Rep. 340 a. καὶ τί δεῖται μάρτυρος; Cf. etiam Latinorum, quid opus est . . ?' veluti in Pl. Capt. 937 Quid opust verbis? cf. Most. 287. 309.

Iam vero omnes eiusmodi interrogationes cum in toto quem modo lustravimus usu pro philosophi demonstrantis ratione sedatum aliquid habeant ac tranquillum, possunt eaedem etiam ad summas animi commotiones verbis effingendas aptissime adhiberi easque prorsus inter se discrepantes. Potest enim is qui hoc modo interrogat aut a summa animi tristitia ac desperatione ad interrogationem excitatus esse aut a firmissima confidentia vel etiam superbia.

§ 11. Animi tristitia ac desperationo interrogaties excutiunt.

Quodsi inopia aliqua s. aegritudo hominis animum adeo mordent premuntque, ut inde relaxari ullo modo se pósse prorsus desperet, potest is nihilo minus id quod frustra desiderat quodque omnino deesse neque ulla ratione a se impetrari posse sibi ipse satis persuasit interrogare, ut illud deesse eo acrius audientium animis infigat atque om-

nem spem sibi sublatam esse sibi ipsi ante oculos collocet. Sic Oedipus senex ille miserrimus, cum communi malorum vi atque impetu percussus iaceat, haec exclamat: (O. R. 1337 sqq. Dind.): *τί δῆτ' ἐμοὶ βλεπτὸν ἢ/ στερκτὸν ἢ προσήγορον/ ἔτ' ἔστ' ἀκούειν ἁδονᾷ, φίλοι;/ ἀπάγετ' ἐκτόπιον ὅτι τάχιστά με* . . cf. Ai. 518 sqq. *τίς δῆτ' ἐμοὶ γένοιτ' ἂν ἀντὶ σοῦ πατρίς;/ τίς πλοῦτος; ἐν σοὶ πᾶσ' ἔγωγε σώζομαι.* Eur. Med. 145 *τί δέ μοι ζῆν ἔτι κέρδος* e. q. s. s. cf. etiam Ai. 867 sq. ubi chorus Aiacem vestigans haec verba mittit: *πᾶ πᾶ / πᾶ γὰρ οὐκ ἔβαν ἐγώ;* quo loco *πᾶ* illud ter repetitum irritum virorum laborem etiam fortius premit.

Apponantur exempla ea quae ad genus semirhetoricum referenda sunt. Quorsum vel maxime innumerabiles illi in tragoediis loci spectant quibus aliquis summo angore captus haeret ac dubitationibus dilaceratus nescit num sibi adhuc ulla salutis via se praebitura sit. Talis est Tecmessae conditio ubi ea Aiacis nece perpetrata Eurysacem filiolum his alloquitur: *οἴμοι τί δρόσω; τίς σε βαστάσει φίλων;* (v. 920.) cf. 809. 1024. 1215. Eur. Med. 502 sqq. In eiusdem fabulae v. 357 sqq. chorus hoc modo lamentatur: *δύστηνε γύναι/ φεῦ φεῦ μελέα τῶν σῶν ἀχέων!/ ποῖ ποτε τρέψει; τίνα προξενίαν ἢ δόμον ἢ χθόνα σωτῆρα κακῶν ἐξευρήσεις;* Comparemus quaeso hunc locum cum Sophocleo illo ex O. R. petito. Ibi Oedipus cum interrogat *τί δῆτ' ἐμοὶ βλεπτόν* etc. illud *τί* sibi nequaquam exstare minime ignorat, interrogat tamen, ut ea ipsa quae sibi desunt rogando animi extremam desperationem eo fortius exprimat; hic mulieres Corinthiacae miseram Medeae conditionem summa animi misericordia prosequentes dubitant quidem vehementer num illam omnino refugium aliquod recepturum sit, tamen ita interrogant, ut responsionem non respuant, sed, si quidem ulla inveniatur, toto animo eam amplecti promptae parataeque sint. Coniunctivus deliberativus in hoc genere frequentatissimus per se voluntatem animi ad aliquid faciendum

directam significat; quid hoc sit, nescitur, ut *τί δράσω*; idem sit quod ‚volo aliquid facere, sed quid hoc sit nescio'. Iam igitur perspicuum est *τί δράσω*; primum veram esse posse interrogationem, deinde semirhetoricam, vix plane rhetoricam, quia coniunctivus ad aliquid cohortatur faciendum, id quod ita tantum fieri potest, si non prorsus illud *τί* usquam exstare desperatur.

Hic igitur omnino iis quas tractamus interrogationibus summam animi tristitiam effictam vidimus; nunc ad alterum locum transeamus qui contrario animi statu continetur.

§ 12. Summa animi confidentia vel superbia interrogationes procreat.

Qui rebus suis summopere confidens summo desiderio conflagrat in alterum aliquem cuius s. facta s. dicta pro nihilo aestimanda esse cum spiritu quodam atque efflatu animi secum volutet acriter invehendi, potest is eodem interrogandi genere uti, quippe cum non dubitet quin ille nihil habeat quod interroganti sibi respondeat. Sic notissimo illo qui in Iliadis initio exstat loco Achilles ira ac fervore excitatus in Agamemnonem his verbis incursat: *Ἀτρείδη κύδιστε, φιλοκτεανώτατε πάντων* / *πῶς γάρ τοι δώσουσι γέρας μεγάθυμοι Ἀχαιοί*: i. e. tu nullam omnino rationem habes tam effrenati desiderii pronuntiandi. Semirhetorici generis exemplum praebeat locus Platonicus in Rep. p. 350 e. positus ubi Thrasymachus satis moleste ferens quod non rhetoricorum more perpetua oratione quaecunque vult proferre potest, sed dialecticae artis modo qua iam antea ad absurdum ductus esset pedetentim quaerendo ac respondendo procedere cogitur, quia tamen necessitati cedit, haec profert: . . . *ὥστε σοι ἀρέσκειν, ἐπειδήπερ οὐκ ἐᾷς λέγειν. καὶ τοι τί ἄλλο βούλει*; cui Socrates *οὐδὲν μὰ Δία*, inquit, *ἀλλ' εἴπερ τοῦτο ποιήσεις, ποίει, ἐγὼ δὲ ἐρωτήσω*. Nimirum verbis *καί τοι τί ἄλλο βούλει*; Thrasymachus im-

patientiam suam atque animi superbiam exprimit idque tamen non ita ut responsionem omnino non exspectet. — Ad totum hoc de quo agitur genus locutio quaedam spectat quae cum Platonis atque Aristophanis tantum propria sit videtur e medio vitae usu petita esse. Etenim si duorum hominum inter se colloquentium alter aliquid s. interrogavit s. affirmavit quod alteri absurdum videtur, potest hic cum superba quadam irrisione id ipsum vocabulum in quo sententiae cardo vertitur simul cum pronomine *ποῖος* repetere atque ita summo impetu repellere. Cuius loquendi generis exempla apud Platonem repperi haec: In Theaet. 180 b. ubi, cum Socrates Heracliteorum, quibus cum omnia fluerent ne quae ipsi affirmassent quidem stare Theodorus contendisset, excusandorum gratia haec protulisset: *Ἴσως, ὦ Θεοδ., τοὺς ἄνδρας μαχομένους ἑώρακας, εἰρηνεύουσι δὲ οὐ συγγέγονας· οὐ γάρ σοι ἑταῖροί εἰσιν· ἀλλ', οἶμαι, τὰ τοιαῦτα τοῖς μαθηταῖς ἐπὶ σχολῆς φράζουσιν οὓς ἂν βούλωνται ὁμοίους αὐτοῖς ποιῆσαι*, ille: *ποίοις*, inquit, *μαθηταῖς, ὦ δαιμόνιε; οὐδὲ γίγνεται τῶν τοιούτων ἕτερος ἑτέρου μαθητής, ἀλλ' αὐτόματοι ἀναφύονται, ὁπόθεν ἂν τύχῃ ἕκαστος αὐτῶν ἐνθουσιάσας, καὶ τὸν ἕτερον ὁ ἕτερος οὐδὲν ἡγεῖται εἰδέναι.* Theodorus igitur *ποῖος* voce utens hoc exprimere vult: Quales eorum discipulos tu omnino tibi excogitare potes? Monstra mihi eos, obsecro, si quidem habes; at non habebis. cf. Charm. 174 b. Phileb. 63 c. Euthyd. 291 a. 304 e. Gorg. 490 d. e. Euthyd. 304 e. Quamquam interdum locutio illa non tam acerbe, sed lenius pronuntiatur, veluti in Rep. 330 b.: S. *πότερον, ὦ Κέφαλε, ὧν κέκτησαι τὰ πλείω παρέλαβες ἢ ἐπεκτήσω;* Ceph. *ποῖ' ἐπεκτησάμην, ὦ Σ.; μέσος τις γέγονα χρηματιστὴς τοῦ τε πάππου καὶ του πατρός.* In Lach. 194 d.: S. *ἀλλ' ἐγὼ δοκῶ μανθάνειν, καί μοι δοκεῖ ἀνὴρ σοφίαν τινὰ τὴν ἀνδρείαν λέγειν.* La. *ποίαν, ὦ Σ., σοφίαν;* S. *οὔκουν τόνδε τοῦτο ἐρωτᾷς;* vera interrogatio cum rhetorici accessione agnoscenda erit. — Apud Aristophanem haec reperi-

untur exempla: Acharn. 61. 106. 156. Ran. 529. Equ. 32. 162. Nub. 247. 367. 1233. Vesp. 1202. 1369. 1378. Pac. 529. Simile aliquid pronomen πόθεν; in responsionibus exhibet (cf. supra p. 35.) quod eadem ratione vocem repetitam aliquam praecedere potest: cf. Lys. 208 b. S. ἀλλὰ τοῦ ὀρικοῦ ζεύγους, οἶμαι, ἐπιτρέπουσί σοι (sc. parentes) ἄρχειν, κἄν, εἰ βούλοιο λαβὼν τὴν μάστιγα τύπτειν, ἐῷεν ἄν; Lys. πόθεν ἐῷεν; cf. Euthyd. 291 b. Solum πόθεν; exempli causa habes in Symp. 172 c. Nonnumquam etiam πῶς; itidem aliquid repudiat veluti in Lys. 208 c. S. ἦ οὐδὲ τοῦτο ἐπιτρέπουσί σοι; Lys. πῶς γὰρ ἐπιτρέπουσιν; cum id plerumque praecedentibus assentiri videatur. Eodem modo Latinorum ‚quis‘ usurpatur; cf. Plaut. Capt. 573 sq. He: Nam ille quidem hodie hinc abiit Alidem/ ad patrem huius. Ac. Quem patrem, qui servos est? cf. 450. Addas locutionem notissimam: ‚Quem tu mihi narras..?‘ veluti Cic. de or. I, 23, 105: Quem tu mihi Staseam, quem Peripateticum narras? cf. ad fam. IX, 16, 7. Verr. II, 32, 79. v. Seyffert. Sch. Lat. I. p. 150. et Wichert. de transit. pathet. p. 4 sq.

Nunc ad eos locos satis frequentes transeundum est quorum primaria vis alterius opprobrio continetur. Atque hic quidem id quod omnino valet etiam planius animadvertitur interrogationes plane rhetoricas a mixto genere certis circumscriptisque finibus quod singulos quidem attinet locos disgregari omnino non posse. Etenim opprobrium quodque aut ita pronuntiare possum ut alteri quamlibet responsionem breviter recidam aut ut animum in ea convertam quae illum facinorum s. dictorum purgandorum causa prolaturum esse exspectem. Ac rarius quidem in hoc genere pronomen τί quod 2. verbi personae praemittitur accusativum exterioris obiecti significat: cf. Crit. 50 a. εἰπέ μοι, ὦ Σ., τί ἐν νῷ ἔχεις ποιεῖν; ἄλλο τι ἢ τούτῳ τῷ ἔργῳ.. διανοεῖ τούς τε νόμους ἡμᾶς ἀπολέσαι καὶ ξύμπασαν τὴν πόλιν; cf. d.: quorsum etiam Reip. 350 e. locus supra (p. 38) allatus facile referri po-

terit. Plerumque vero in eiusmodi interrogationibus *τί;* idem est quod Latinorum ‚cur?' vel ‚quorsum?' quae significationes ex interioris obiecti notione efflorescebant. cf. Rep. 349 a.: ubi Thrasymachus hoc modo in Socratem invehitur: *τί δέ σοι τοῦτο διαφέρει εἴτε μοι δοκεῖ εἴτε μή, ἀλλ' οὐ τὸν λόγον ἐλέγχεις;* Symp. 213 c. Alc.: *καὶ νῦν τί ἥκεις; καὶ τί αὖ ἐνταῦθα κατεκλίνης;* Euthyd. 300 e.: *τί γελᾷς, ὦ Κλ., ἐπὶ σπουδαίοις οὕτω πράγμασι καὶ καλοῖς;* idem Rep. 473 b. Theaet. 146 a. Alc. I. 118 e. — Phaed. 87 a. *τί οὖν ἀπιστεῖς;* Lys. 211 c.: Ctes. *τί ὑμεῖς αὐτὼ μόνω ἑστιᾶσθον, ἡμῖν δὲ οὐ μεταδίδοτον τῶν λόγων;* S. *ἀλλὰ μὴν μεταδοτέον.* l. p. pl. habes in Politic. 283 a.: *τί δήποτε οὖν οὐκ εὐθὺς ἀπεκρινάμεθα πλεκτικὴν εἶναι κρόκης καὶ στήμονος ὑφαντικήν, ἀλλὰ περιήλθομεν . . ;* Cf. etiam *πῶς* aeque usurpatum in Symp. 174. ubi Agatho Aristodemum his verbis excipit: *ὦ Ἀρ., εἰς καλὸν ἥκεις* e. q. s. —, *ἀλλὰ Σωκράτη ἡμῖν πῶς οὐκ ἄγεις;* Quamquam hoc loco fortasse etiam rectius quam semirhetorica interrogatio vera cum animi quadam affectione statuenda erit, quia Agatho altero nondum exaudito vix sumere potest illi iustam rei causam deesse. At vero in Crit. 43 a. ubi haec scripta leguntur: S. *ἄρτι δὲ ἥκεις ἢ πάλαι;* Cr. *ἐπιεικῶς πάλαι.* S. *εἶτα πῶς οὐκ εὐθὺς ἐπήγειράς με, ἀλλὰ σιγῇ παρακάθησαι;* vix negari poterit aliquid certe rhetorici inesse, cum Socrates a Critone certior factus illum iam diu in carcere adesse hoc ipso audito ad interrogationem excitatur quippe causam nullam videns cur ille se non statim e somno excitarit. Atque haec attuli, ut quam sensim verae interrogationes ad rhetoricum genus transirent monstrarem, cui rei maximopere variae illae quae volubilibus vocis humanae modulationibus exprimi queant dissimilitudines admodum faveant.

Iam vero diversum quendam significationis flexum qui id quod hoc loco agitur spectat contueamur. Opprobrii scilicet vis facillime enuntiationes imperatorias parit. Quod

quidem cum in enuntiationes sine negatione prolatas quadrat (cf. exempli causa locum Euthyd. 300 e. ubi *τί γελᾷς;* idem fere est atque ‚risum mittas‘, in Theaet. 146 a. *τί σιγᾶτε;* idem quod ‚loquimini‘) tum multo etiam magis in eas quae negationem exhibent quae fere omnes in enuntiationum imperatoriarum conditionem abierunt. Exempla haec habes: Rep. 338 c. *ἀλλὰ τί οὐκ ἐπαινεῖς; ἀλλ' οὐκ ἐθελήσεις.* Lach. 181 d. S. *ἀλλ' ὦ Νικία, τί οὐ λέγει πότερος ὑμῶν;* Nic. *ἀλλ' οὐδὲν κωλύει.* Lys. 211 d. Ctes.: *τί οὖν οὐκ ἐρωτᾷς;* S. *ἀλλ' ἐρήσομαι.* Protag. 310 e. *ἀλλὰ τί οὐ βαδίζομεν παρ' αὐτὸν ἵνα ἔνδον καταλάβωμεν;* Temp. praet. his locis occurrit: Symp. 173 b. *τί οὖν οὐ διηγήσω μοι;* Phileb. 54 b. *τί οὖν οὐκ αὐτὸς ἀπεκρίνω σαυτῷ;* cf. Soph. 251 e. Parm. 136 c. d. Charm. 155 a. Protag 310 a. Men. 92 d. in reiectione propositi (S. . . *ἀλλὰ δὴ ἐκείνους εἰπὲ ἡμῖν καὶ τὸν πατρικὸν τόνδε ἑταῖρον εὐεργέτησον, φράσας αὐτῷ . . .* An. *τί δὲ αὐτῷ οὐ σὺ ἔφρασας;*)

3. sg. habes Phaed. 86 d.: *εἰ οὖν τις ὑμῶν εὐπορώτερος ἐμοῦ, τί οὐκ ἀπεκρίνατο;* 1. pl. Protag. 217 d.: S. *τί οὖν οὐ καὶ Πρόδικον καὶ Ἱππίαν ἐκαλέσαμεν καὶ τοὺς μετ' αὐτῶν ἵνα ἐπακούσωσιν ἡμῶν;* cf. Politic. 279 b. Charm. 154 e.

Iam igitur videmus interrogationes rhetoricas non solum affirmationum sed etiam postulationum partibus fungi posse: id quod infra in parte II. aliis quoque exemplis comprobabitur. Attamen Krazius qui (l. l. p. 3) iure suo G. T. A. Krügero et Zumptio opprobrio dat quod de affirmationibus tantum cogitaverint (ille in Gr. Lat. ampl. § 516 adn. 5, hic in vetustioribus edd. gramm. § 603, cum in recentioribus universam interrogationum rhetoricarum notionem Madvig. secutus reiecerit) nimis religiose haec duo genera discernit. Nimirum etiam eas quae postulationem exprimant interrogationes a principio affirmationum loco exstare, imperii vero vim secundarium aliquid esse facile perspicitur. Quicunque enim tale aliquid exclamat quale

est: *τί οὐκ ἀποκρίνει*; siquidem hanc interrogationem generi plane rhetorico vindicamus, confidenter interrogat, quia haud dubitat quin alter nullam causam afferre queat cur non loquatur; ergo dicit hoc fere: Tu omnino nihil causae habes cur non respondeas. Iam in tali iudicio postulationem inesse planum est. Etiam fortius praeterito tempore aliquid postulatur; quicunque enim interrogat: *τί οὐκ εἶπες*; is hoc modo iudicat: tu iam diu debebas dicere; ergo ne diutius cunctare, sed illico loquere. Vix opus est moneri in Latino sermone prorsus eadem spectari; cf. apud Plautum talia qualia sunt: ‚quid cessatis?' ‚quin quiescis?' similia quae frequentissime occurrunt.

Iam ut ad ipsum propositum redeamus totum hoc quod negationem spectat genus rhetoricum videtis affectionibus animi prorsus inter se oppositis respondere posse et extremae desperationi et summae fiduciae. Sed monendum est inter hos affectionum fines admirabilem dissimilitudinum continuationem interesse quae a pacata animi tranquillitate ad summam eius concitationem ascendentes hoc eodem genere exprimantur. Iam igitur dicendum erit

§ 13. de affectibus mitigatioribus

quoad in his interrogationibus animadvertantur. Nimirum qui inopiam quam ipse sentit hoc modo exprimit, is non necesse est summa fortunae iniquitate ictus sit, sed potest etiam minutiis tantum impeditus in angustum venisse. Pariter qui in alterum aliquem interrogando invehitur potest ei error tantum illius quem refutare studeat animo obversari. Ad quam rem illustrandam aliqua certe afferantur exempla Platonis a quo hoc genus mitigatum ita non esse alienum, ut omnino occurrat, cum vehementiores illi animi affectus tragicorum poetarum magis proprii sint, vix est quod moneam.

Ac primum earum interrogationum specimina proponere licet quae demissiorem animi statum indicant: Rep. 375 c. S. *τί οὖν ποιήσομεν; πόθεν ἅμα πρᾶον καὶ μεγαλόθυ-*

μον ἦθος εὑρήσομεν; Soph. 239 b. τὸν μὲν τοίνυν ἐμέ γ' ἔτι τίς ἂν λέγοι; καὶ γὰρ πάλαι καὶ τὸ νῦν ἡττημένον ἂν εὕροι περὶ τὸν τοῦ μὴ ὄντος ἔλεγχον. Exempla alterius notae ubi aliquis cum fidentia quadam in alterum invehitur suamque rem obtinere studet haec appono: Theaet. 161 d. S. . . εἰ γὰρ δὴ ἑκάστῳ ἀληθὲς ἔσται ὃ ἂν δι' αἰσθήσεως δοξάζῃ . . τί δήποτε, ὦ ἑταῖρε, Πρωταγόρας μὲν σοφὸς ὥστε καὶ ἄλλων διδάσκαλος ἀξιοῦσθαι δικαίως μετὰ μεγάλων μισθῶν, ἡμεῖς δὲ ἀμαθέστεροί τε καὶ φοιτητέον ἡμῖν ἦν παρ' ἐκεῖνον, μέτρῳ ὄντι αὐτῷ ἑκάστῳ τῆς αὑτοῦ σοφίας; καὶ ταῦτα πῶς μὴ φῶμεν δημούμενον λέγειν τὸν Πρωταγόραν; Charm. 164 e. quo loco Critias Socrati qui quodnam pulchrum opus σωφροσύνη pariat ex eo quaesivisset ita occurrit: ἀλλ', ὦ Σ., οὐκ ὀρθῶς ζητεῖς. — ἐπεὶ λέγε μοι, τῆς λογιστικῆς τέχνης ἢ τῆς γεωμετρικῆς τί ἐστι τοιοῦτον ἔργον οἷον οἰκία οἰκοδομικῆς e. q. s. . . ; ἔχεις οὖν μοι καὶ σὺ τούτων τοιοῦτόν τι ἔργον δεῖξαι; ἀλλ' οὐχ ἕξεις. Atque hic quidem etiam notae maxime perspicuae accedunt quae concitatioris animi conditionem etiam oculis monstrent. Apol. 26 c. ὦ θαυμάσιε Μέλητε, ἵνα τί ταῦτα λέγεις; οὐδὲ ἥλιον οὐδὲ σελήνην ἄρα νομίζω θεοὺς εἶναι, ὥσπερ οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι; (semirh.) Cf. etiam ampliores locos in Critonis oratione Socratis ad fugam excitandi causa instituta collocatos (Crit. 53 c. e.) Ad hanc classem praeterea nonnullae quidem earum interrogationum revocandae erunt de quibus proxime dictum est, eae scilicet quae opprobrium idque tamen lenius exprimunt. Tum πῶς; in responsionibus frequenter haud alienum est: cf. Gorg. 466 b. S. οὐδὲ νομίζεσθαι ἔμοιγε δοκοῦσιν (sc. oratores). Pol. πῶς οὐ νομίζεσθαι; οὐ μέγιστον δύνανται ἐν ταῖς πόλεσιν; Denique huc pertinet formula τί τοῦτο; siquidem ea non terrorem sed contemptionem alicuius rei exprimit Latinorum formulis: ‚quid hoc refert?‘ ‚quid postea?‘ respondens. Ita in Protagorae exordio ubi Socrates amico cuidam Alcibiadis amorem iocose sibi opprobrio danti, quia ille iam barbatus

sit, hoc respondet: *εἶτα τί τοῦτο; οὐ σὺ μέντοι Ὁμήρου ἐπαινέτης εἶ ὃς ἔφη χαριεστάτην ἥβην εἶναι τοῦ ὑπηνήτου ἣν νῦν Ἀλκ. ἔχει;* cf. 310 d. ubi Hippocrati summo studio Protagoram advenisse nuntianti Socrates: *τί οὖν σοι τοῦτο;* inquit, *μῶν τί σε ἀδικεῖ Πρωταγόρας;* cf. Gorg. 448 a. Hipp. mai. 289 e. Alcib. I. 119 b. Alc. . . *δοκοῦσι γάρ μοι οἱ τὰ τῆς πόλεως πράττοντες ἐκτὸς ὀλίγων ἀπαίδευτοι εἶναι;* S. *εἶτα τί δὴ τοῦτο;* ,quidnam inde concludis?' Sed etiam integris enuntiationibus formula inserta spectatur veluti in Alcib. I. 105 c. *τί δὴ οὖν, ὦ Σ., τοῦτό ἐστί σοι πρὸς λόγον ὃν ἔφησθα ἐρεῖν δι' ὃν ἐμοῦ οὐκ ἀπαλλάττει;* Paullo aliter Phileb. 13 a. *ἀλλὰ τί τοῦθ' ἡμῶν βλάψει τὸν λόγον;* cf. ib. 18 a. locum simili conditione, etsi formulam illam non exhibentem: *ἀλλὰ τί δήποτε πρὸς ἡμᾶς ὁ λόγος οὗτος νῦν δὴ εἴρηται καὶ τί ποτε βουλόμενος;* Addendus est Gorg. 446 d. locus: *τί τοῦτο, ὦ Πῶλε; γελᾷς; ἄλλο αὖ τοῦτο εἶδος ἐλέγχου ἐστὶν, ἐπειδάν τίς τι εἴπῃ, καταγελᾶν, ἐλέγχειν δὲ μή;* ubi formula opprobrium atque vituperationem exprimit. Atque haec hactenus. Habetis unius generis rhetorici usum maxime varium cuius tamen singula exempla omnia hoc unum singulare ac proprium habent, pronomine, cum quid desideretur quod desit. id effici, ut inopia illa s. ab eo ipso qui interrogat s. ab eo qui appellatur eo magis sentiatur.

II. De eo interrogationum rhetoricarum genere quod infinitatem quandam spectat.

§ 14. De huius generis natura atque usu.

Alter locus quem nunc describendum mihi proposui ab eo quem praecedenti capite perlustravimus prorsus discrepantem vel potius contrariam naturam exhibet. Cum enim illic cogitationes quodammodo reprimantur ac restinguantur, quia id ipsum quod pronomine anquiritur omnino non exstat, hic eodem pronomine efficitur, ut infinita cogitationum

copia in animo excitetur. Sed ne hic quidem qui interrogat responsionem nancisci cupit, sed infinitum aliquid quod certis linguae finibus vix comprehendi potest exprimere vult. Itaque cum Socrates in Plat. Phaedr. p. 241 e. Phaedrum sic appellat: οὐκ ᾔσθου, ὦ μακάριε, ὅτι ἤδη ἔπη φθέγγομαι, ἀλλ' οὐκέτι διθυράμβους καὶ ταῦτα ψέγων; ἐὰν δ' ἐπαινεῖν τὸν ἕτερον (i. e. τὸν μὴ ἐρῶντα· antea enim Socrates amantis per orationem reprehendendi munus praestiterat) ἄρξωμαι, τί με οἴει ποιήσειν; nihil aliud vult nisi hoc: cum iam in vituperando aestus ingenii me adeo abripuerit, ut dithyrambos effunderem, verbis vix exprimi potest quod ubi primum laudare coepero accidet. Sane quae insequuntur verba: ἆρ' οἶσθ' ὅτι ὑπὸ τῶν Νυμφῶν αἷς με σὺ προὔβαλες ἐκ προνοίας σαφῶς ἐνθουσιάσω; infinitum illud certis linguae facultatibus effingere student qua in re tamen nihil inest nisi progressus sententiae qui ad τί pronominis vim describendam nihil valet. Ut igitur quantopere totum hoc genus ab altero illo discrepet etiam magis in luce ponatur, conferamus, si placet, alterum eiusdem dialogi locum qui p. 235 e. exstat ubi Socrates Phaedri iniquas alterius praeter Lysianam de eodem argumento instituendae orationis conditiones reiciens praeter alia haec profert: αὐτίκα περὶ οὗ ὁ λόγος, τίνα οἴει λέγοντα ὡς χρὴ μὴ ἐρῶντι μᾶλλον ἢ ἐρῶντι χαρίζεσθαι, παρέντα τοῦ μὲν τὸ φρόνιμον ἐγκωμιάζειν, τοῦ δὲ τὸ ἄφρον ψέγειν, ἀναγκαῖα γοῦν ὄντα, εἶτ' ἄλλ' ἄττα ἕξειν λέγειν; ἀλλ', οἶμαι, τὰ μὲν τοιαῦτα ἐατέα καὶ συγγνωστέα λέγοντι e. q. s. Hoc loco Socrates pronomine τίνα talem aliquem significat qui omnino non sit cogitandus; quapropter Phaedro quamlibet responsionem verbis ἀλλ' οἶμαι sq. praecidit. Vis igitur in Phaedri animo interrogatione efficienda utroque loco prorsus contraria est. Hic enim Socrates id agit, ut Phaedrus talem qualis pronomine τίς indicetur oratorem quantumvis anquirens usquam inveniri desperet; ibi vero ut ille τί non unum distinctum aliquid quod certis finibus circumscribat sibi fingat, sed ut infinita cogitationum copia quae aestum orationis etiam dithyrambi fines egressae depingat quodammodo obruatur. Iam igitur quis non videt quantam haec duo interrogationum rhetoricarum genera cum affectuum generibus conferant similitudinem quae a psychologis in nostro sermone „deprimierende“ et „excitierende Affecte“ vocantur ut fortasse haud ineptum esset ut pro similitudine illa „deprimierende“ et

„excitierende rhetorische Fragen“ nominarentur. Quodsi iterum imaginem a geometricis petere licet, cum illae punctum aliquod desiderent quod omnino non exstet, hae ad immensum spatium spectant quod certis finibus circumscribi non possit.

Utriusque generis discrepantia facillime inde sumitur, quod non unumquodque pronomen interrogativum in utroque genere libero arbitrio adhiberi potest neque ea quoque pronomina in quae hoc minus cadit pari utrique modo videntur esse accepta. Quamquam tota haec quaestio nisi singulari dissertatione quae singula diligenter observet instituta absolvi non poterit, tamen nonnulla certe hoc loco licet tangere. Ac primum pronomen *τίς*, Latinorum ‚quis‘, nostrum „wer“ in interrogationibus infinitatem spectantibus usurpari non posse quis est quin videat, cum personae notio ab infinitatis significatione prorsus abhorreat neque omnino cogitari possit nisi finita ac circumscripta. Similis ratio est pronominum: ubi? unde? cur? quorsum? et q. s. s. quoniam haec omnia ad unum aliquid definitumque spectant. Quamquam negari non poterit usum nonnumquam fines praescriptos egredi; veluti cum in nostro sermone, ut aliquem hominem qui proximo tempore aderat iam longe a nobis abesse exprimamus haec verba mittimus: Ach wo ist der jetzt schon! quamquam hoc litterarum consuetudine minus consecratum est.

Iam vero eae interrogationes quae negationis loco exstant alia pronomina fere repudiant ut *ποῖος, πόσος*, Latinorum qualis, quantus; etenim eius tantum rei quantitas vel qualitas interrogari potest quae re vera exstat. Tamen exstant loci ubi pronomina illa negationem quandam significent sc. non absolutam, sed relativam quam dicunt negationem: cf. Tac. Agric. 15: q u a n t u m transiisse militum? i. e. parvum tantum numerum. Soph. Ai. 1235 sqq. *ταῦτ' οὐκ ἀκούειν μεγάλα πρὸς δούλων κακά;/ ποίου κέκραγας ἀνδρὸς ὧδ' ὑπέρφρονα* (cum contemptione dictum). cf. etiam infra p. 119 sq. Quamquam talia opinor non nimis frequenter animadvertentur. Denique talia pronomina qualia sunt *πηλίκος, πηνίκα* ad neutrum interrogationum genus apta sunt neque vix usquam rhetorica vi instructa reperientur. Quamquam ut iam dixi ad haec accuratius inquirenda singulari labore opus erit. — Verum ut ad propositum revocetur oratio, singula eius generis rhetorici quod altero loco collocavimus intueamur.

Ac primum nonnulla afferre licet exempla quae nihil peculiare prae se ferentia totum genus illustrent. Rep. 494 c. *τί οὖν οἴει τὸν τοιοῦτον ἐν τοῖς τοιούτοις . . ποιήσειν* (sc. hominem philosopha indole institutum, sed prava eruditione corruptum) *ἄλλως τε καὶ ἐὰν τύχῃ μεγάλης πόλεως ὢν καὶ ἐν ταύτῃ πλούσιός τε καὶ γενναῖος, καὶ ἔτι εὐειδὴς καὶ μέγας; ἆρ' οὐ πληρωθήσεσθαι ἀμηχάνου ἐλπίδος ἡγούμενον καὶ τὰ τῶν Ἑλλήνων καὶ τὰ τῶν βαρβάρων ἱκανὸν ἔσεσθαι πράττειν* e. q. s. In Gorg. 466 a. Socrates Polum hunc in modum castigat: *ἀλλ' οὐ μνημονεύεις τηλικοῦτος ὤν, ὦ Πῶλε; τί τάχα δράσεις* (sc. ubi aetate longius provectus fueris); qui locus ut ille Phaedri proxime allatus (241 e) documento sit quantopere duarum enuntiationum inter se comparatio in huius generis naturam quadret: quod quidem haud difficile est explicatu, quoniam comparatio quaeque gradationem ad maius continet. Symp. 216 d. verba Alcibiadis: *τοῦτο γὰρ οὗτος* (sc. Socr.) *ἔξωθεν περιβέβληται ὥσπερ ὁ γεγλυμμένος σειληνός· ἔνδοθεν δὲ ἀνοιχθεὶς πόσης οἴεσθε γέμει, ὦ ἄνδρες συμπόται, σωφροσύνης; ἴστε ὅτι* . . . Apol. 41c ubi Socrates de vita futura loquitur: *ἐπὶ πόσῳ δ' ἄν τις, ὦ ἄ. δικασταί, δέξαιτο ἐξετάσαι τὸν ἐπὶ Τροίαν ἀγαγόντα τὴν πολλὴν στρατιὰν ἢ Ὀδυσσέα ἢ Σίσυφον ἢ ἄλλους μυρίους ἄν τις εἴποι καὶ ἄνδρας καὶ γυναῖκας; οἷς ἐκεῖ διαλέσθαι καὶ ξυνεῖναι καὶ ἐξετάζειν ἀμήχανον ἂν εἴη εὐδαιμονίας.* ubi sicuti supra pronominis loco ea ipsa vox substituitur cuius notio totius generis propria est. In eiusmodi quidem locis quibus duae interrogationes inter se excipiant sicuti proxime in Reip. loco haud raro sane dubitari poterit utrum praemissa interrogatio rhetorica sit an vera quae subiunctam interrogationem praeparet (cf. supra p. 45 sqq.)

Iam semirhetorico quoad huc pertinet generi hi loci facile tribui poterunt quae ei exemplo inserviant: Rep. 522 d. Socrates in disputatione de arithmetica arte custodibus necessario praebenda cum mentionem iniecisset Palamedis qui in fabulis quibusdam Agamemnoni illius artis imperitiam exprobraret, hoc modo pergit: *καίτοι ποῖόν τιν' αὐτὸν οἴει στρατηγὸν εἶναι;* cui Adimantus *ἄτοπόν τιν' ἔγωγε,* inquit, *εἰ ἦν τοῦτ' ἀληθές.* ib. 578 e. *τί δέ; εἴ τις θεῶν ἄνδρα ἕνα ὅτῳ εἰσὶν ἀνδράποδα πεντήκοντα ἢ πλείω, ἄρας ἐκ τῆς πόλεως αὐτόν τε καὶ γυναῖκα καὶ παῖδας, θείη εἰς ἐρημίαν μετὰ τῆς ἄλλης οὐσίας τε καὶ τῶν οἰκετῶν, ὅπου αὐτῷ μηδεὶς τῶν ἐλευθέρων μέλλοι βοηθήσειν, ἐν ποίῳ

αὐτὸν καὶ πόσῳ φόβῳ οἴει γενέσθαι αὐτὸν περί τε αὐτοῦ καὶ παίδων καὶ γυναικὸς μὴ ἀπόλοιντο ὑπὸ τῶν οἰκετῶν; Ad. *ἐν παντί.* Hanc interrogationem si examinamus duplex aliquid habere facile intellegimus; primum enim Socrates ipse asseverat ex ipsa rerum natura consentaneum esse timorem illius hominis mirificum quantum exstiturum fuisse; eodem tempore autem vere interrogat i. e. ex Adimanto responsionem quodammodo excutere studet.

Iam facere non possum quin pauca alia quae etsi Platonis non sunt tamen hoc genus apte illustrent adiungam. Ac primum quidem ex tragicis: Eur. Med. 108 sqq. ubi nutrix exclamat: *τί ποτ' ἐργάσεται μεγαλόσπλαγχνος δυσκατάπαυστος / ψυχὴ δηχθεῖσα κακοῖσιν;* (semirh.) cf. Phoen. 1274: *οἴ 'γὼ τί λέξεις, μῆτερ;* (semirh.) Soph. El. 266 sqq. *ἔπειτα ποίας ἡμέρας δοκεῖς μ' ἄγειν;* (semirh.)

Deinde notandus est Aristophanicus usus pronominis *πῶς* cum verbo sentiendi coniuncti quo comica quaedam vis efficitur: cf. Ran.. 52 sqq. *καὶ δῆτ' ἐπὶ τῆς νεὼς ἀναγιγνώσκοντί μοι τὴν Ἀνδρομέδαν πρὸς ἐμαυτὸν ἐξαίφνης πόθος τὴν καρδίαν ἐπάταξε πῶς οἴει σφόδρα;* cf. Acharn. 12. Eccles. 399. Pac. 54. Nub. 881. Plut. 742. cf. etiam Eur. Hippol. 446 et v. Krüger Dial. 59, 1. adn. 1.

Iam Latinis scriptoribus quantum quam acceptum totum hoc rhetoricum genus fuerit quis est quem fugiat. Licet igitur, cum usum illum accuratius inquirere ab hoc tempore alienum sit, aliquot certe exempla proponere quae totum genus adumbrent. Primum igitur locus aliquis proferatur qui comicam eius vim ante oculos ponat; exstat is in Pl. Capt. v. 902 sqq. ubi Ergasilus parasitus quem Hegio senex summo de filii adventu gaudio affectus cellarium fecerit, haec prodit: Di immortalis, iam u t ego collos praetruncabo tegoribus. Q u a n t a pernis pestis veniet, q u a n t a labes larido, q u a n t a sumini apsumedo, q u a n t a callo calamitas, q u a n t a laniis lassitudo, q u a n t a porcinariis. Deinde quis innumerabiles illos locos ignorat ubi ad rem aliquam exaggerandam comparatio fit veluti Ciceronianum illud: Loquor de principibus: q u i d poetae? nonne post mortem nobilitari volunt? ‚quid' in integra oratione: de imp. Cn. Pomp. § 36: Est haec divina atque incredibilis virtus imperatoris. Q u i d ceterae quas paullo ante commemorare coeperam, q u a n t a e atque quam multae sunt. Post moneo formulas ‚q u i d c e n s e s . . ?' ‚q u i d p u t a s . . ?' e. q. s. s.; denique notissimam illam differentiam quae intercedit inter

formulas: ‚quid loquar de..?' et ‚quid dicam de..?' quarum illa ad genus negationis vi praeditum, haec ad id ipsum genus quod nunc tractamus spectat. Sed quid opus est plura? Nunc ad totius generis naturam revertamur et quanta quam arta necessitate aliud quoddam genus ei coniunctum sit videamus.

§ 15. De exclamationibus in universum.

Quis igitur non videt singularem eius quod agitur interrogationum generis cum exclamationibus propinquitatem? Quid dico propinquitatem, quae nihil aliud nisi exclamationes sint. Exclamationem enim is edit qui s. animo s. oculis intuetur aliquid quod ad altitudinem vulgares modos excedat. Quidnam aliud ii faciunt qui talibus quales agimus interrogationibus utuntur? Quae cum ita sint, in omnibus linguis innumerabilis exclamationum multitudo cernitur quae inde efflorescebant. Iam vero alterum habes earum fontem enuntiationes pronomine demonstrativo institutas. Unde omnibus quae litterarum face perlustrari possunt temporibus duplicem habes exclamationum seriem pari vi instructarum alterum interrogativarum alterum demonstrativarum. Ut igitur nos hodie duplex genus adhibentes loqui possumus: „die Natur ist so schön!" et „wie schön ist die Natur!" sic iam Homerica carmina talia habent qualia sunt: **ποῖον τὸν μῦθον ἔειπες**! atque **οἷα ἔειπες**! et q. s. s. Porro quis nescit Graecorum **ὡς** quod, si originem spectamus, demonstrativum est omnino eandem vim exclamativam recepisse atque Latinas voces ‚ut' ‚quam' neque quidquam inter harum vocum usum interesse? Profecto non omnia pronomina demonstrativa eundem cursum ingressa sunt, sed apud Graecos quidem unice, nisi fallor, **ὡς**, **οἷος** atque **ὅσος**, quoniam in qualitatis et quantitatis notionibus infinitum aliquid inest quo animus ad exclamandum incitetur. At nihilo minus nescio an hoc alterum haud leve argumentum sit unde exclamationis, non indefiniti notionem commodissimum a pronomine demonstrativo ad interrogativum transitum praebere concludatur. Sed ut utriusque pronominum familiae in hoc genere propinquitas etiam magis illustretur, licet nonnulla afferre exempla. Ac primum **ὡς** vocis usus tam tritus est atque omnibus notus ut vix opus sit eum exemplis Platonicis illustrare. Exemplo sit locus Crit. 44 b: **ὡς ἄτο-**

που τὸ ἐνύπνιον! Hoc moneo saepe illi voci interiectionem ***βαβαί*** praemitti: cf. Phaedr. 236 e. Rep. 361 d. 459 b. Soph. 248 d. Lach. 195 a., qua exprimitur hominem terrore s. admiratione quodammodo obrutum esse. Similis etsi non idem in exclamationibus usus pronominis ***οἷος*** est: quod quamquam apud ceteros quoque scriptores inde ab Homero frequentissime occurrere scio, tamen haud ineptum puto eius usum Platonicum qui paucis quibusdam formulis adstrictus sit apponere. Nimirum *οἷον* s. *οἷα* 2. sq. verbi aut dicendi aut agendi praemissum etsi a principio aeque atque *ὡς* solam admirationem exprimit, tamen frequenter simul opprobrii aliquid sumpsit. Exempla habes haec: Euthyd. p. 273 e. Socrates cum sophistae se omnium hominum optime virtutem docere professi essent, exclamat: *ὦ Ζεῦ, οἷον λέγετον πρᾶγμα! πόθεν τοῦτο τὸ ἕρμαιον εὑρέτην*; cf. Hipp. mai. 290 d. *Ἡράκλεις, οἷον λέγεις ἄνθρωπον, ὦ Σ!* Legg. 704 c.: *παπαί, οἷον λέγεις!* Nudum *οἷον* sine aliarum vocum confirmatione habes ib. 890 b. Rep. 450 a. Phaed. 61 c. Iam ii loci quibus verbum *ποιεῖν* ut supra *λέγειν* solemne est opprobrii fere notione praediti sunt: cf. Phaed. 117 d. ubi Socrates moriturus amicos valde lamentantes ita reprehendit: *οἷα ποιεῖτε, ὦ θαυμάσιοι! ἐγὼ μέντοι οὐχ ἥκιστα τούτου ἕνεκα τὰς γυναῖκας ἀπέπεμψα, ἵνα μὴ τοιαῦτα πλημμελοῖεν* e. q. s. Euthyphr. 15 e. *οἷα ποιεῖς, ὦ ἑταῖρε! ἀπ' ἐλπίδος με καταβαλὼν μεγάλης ἀπέρχει.* cf. Alcib. I 113 c.

βαβαί interiectio antecedit atque alia verba insequuntur his duobus locis: Alcib. I. 118 b. *βαβαὶ ἄρα, ὦ Ἀλκ., οἷον πάθος πέπονθας* (i. e. quam lamentabilem animi statum praebes) e. q. s. . . ! ib. 119 c.: *βαβαί, οἷον, ὦ ἄριστε, τοῦτ' εἴρηκας· ὡς ἀνάξιον τῆς τ' ἰδέας καὶ τῶν ἄλλων τῶν σοι ὑπαρχόντων!* Denique apponatur Rep. 344 d. *ὦ δαιμόνιε Θρασύμ., οἷον ἐμβαλὼν λόγον ἐν νῷ ἔχεις ἀπιέναι!*

Denique pronominis *ὅσος* haec exempla Platonica huc pertinentia in promptu sunt: Phaedr. 263 d. ubi Socratis exclamationem hanc cernis: *φεῦ, ὅσῳ λέγεις τεχνικωτέρας Νύμφας τὰς Ἀχελῴου καὶ Πᾶνα τὸν Ἑρμοῦ Λυσίου τοῦ Κεφάλου πρὸς λόγους εἶναι!* alterum ubi *οἷον* praemissum atque *ὅσον* bis collocatum exstant: Rep. 450 a. *οἷον εἰργάσασθε ἐπιλαβόμενοί μου! ὅσον λόγον πάλιν ὥσπερ ἐξ ἀρχῆς κινεῖτε περὶ τῆς πολιτείας ἣν . . . οὐκ ἴστε ὅσον ἑσμὸν λόγων ἐπεγείρετε . . .* cf. formulam *θαυμαστόν*

ὅσον veluti Theaet. 150 d. Hipp. mai. 282 c. (*θαυμαστῶς ὡς* Rep. 331 a. all. l.) cf. Aristoph Acharn. 174: *οἴμοι τάλας, μυττωτὸν ὅσον ἀπώλεσα!*

Iam igitur ex iis quae attuli exemplis satis opinor planum erit pronomina *ὡς, οἷος, ὅσος,* si totum spectamus, eandem in exclamationibus vim exhibere atque interrogativa iis respondentia *πῶς, ποῖος, πόσος,* etsi singulas eorum locutiones facile peculiare aliquid induere consentaneum est. Unde nimirum consequitur exclamationis notionem ad vim interrogativam ac demonstrativam artius inter se adnectendas vel plurimum valere. Sed vereor ne in hac re quae mihi sane memorabilis videbatur longus fuerim; tempus est ad institutum redire ac pauca quae toti generi rhetorico relinquantur adiungere.

§ 16. **Addenda.**

Ac primum monuerim duo illa quae pertractavimus interrogationum rhetoricarum genera quantumvis a principio diversa tamen facile posse alterum alterius non solum similitudinem quandam amplecti sed nonnumquam omnino inter se permisceri. Quod quidem vel maxime tum accidit cum negatio quae pronomine continetur non absoluta sed relativa est veluti in Phaedr. 260 d. *τί ποτ᾽ ὦ θαυμάσιοι ληρεῖτε;* quem locum duplici ratione interpretari licet; primum enim enuntiatio illa idem sibi vult atque haec: *οἷα* s. *ποῖα, ὦ θαυμάσιοι, ληρεῖτε!* (cf. supra) i. e. pronomen *τί* significat aliquid quod adeo insanum est ut verbis exprimi nequeat; altero loco autem sic quoque verti potest: nihil est quod confabulamini. Atque hic vox ‚nihil' sane non absolutam, sed relativam negationem exprimit sc. non idem est quod *οὐδέν*, sed idem quod *μηδέν* Neque vero negandum est linguam quae logicas quae vocantur categorias audacter transiliat his finibus non adstringi, sed latius evagari. Conferas enim quaeso locum ex Soph. El. 825 sqq. petitum: *ποῦ ποτε κεραυνοὶ Διὸς ἢ ποῦ φαέθων Ἅλιος εἰ ταῦτ᾽ ἐφορῶντες / κρύπτουσιν ἕκηλοι;* ubi non minus relativam negationem spectas, non absolutam, quamquam de infinitate aliqua nequaquam agitur. Sed ut necessitas quae inter genus exclamativum et negativum (ut his brevibus significationibus utar) intersit spectetur, pauca exempla allegentur: Rep. 336 c. *τίς ὑμᾶς πάλαι φλυαρία ἔχει, ὦ Σ., καὶ τί εὐηθίζεσθε πρὸς ἀλλήλους ὑποκατακλινόμενοι ὑμῖν αὐτοῖς;*

oph. El. 390 ὅπως πάθῃς τί χρῆμα; ποῦ ποτ' εἶ φρε-ν; Pl. Phaedr. 260 c. S. ὅταν οὖν ὁ ῥητορικός ... πείσῃ κὰ πράττειν ἀντ' ἀγαθῶν, ποῖόν τινα οἴει μετὰ ταῦτα τ. ν ῥητορικὴν καρπὸν ὧν ἔσπειρε θερίζειν; Ph. οὐ πάνυ γε ἐπιεικῆ (semirh.) cf. Soph. Ai. 1235. Maxime vero ii loci notabiles sunt ubi alterum genus in alterum transeat cuius rei exemplum mihi hoc suppetit: Soph. El. 328 τίν' αὖ σὺ τήνδε πρὸς θυρῶνος ἐξόδοις / ἐλθοῦσα φωνεῖς, ὦ κασι-γνήτη, φάτιν / κοὐδ' ἐν χρόνῳ μακρῷ διδαχθῆναι θέλεις / θυμῷ ματαίῳ μὴ χαρίζεσθαι κενά; ubi pronomen τίνα duplici quodammodo munere fungitur, quia in alterius enuntiationis principio τί (= cur) suppleri debet.

Iam quoniam de duobus illis generibus rhetoricis satis dictum est, tertius locus relinquitur quo τίς certum quidem aliquid significet idque tamen ita pellucidum, ut responsione omnino non egeat. Qui tamen locus, quia perraro in lingua adhibetur, satis erit, credo, si uno exemplo ex nostro sermone petito illustretur. Ponamus igitur aliquem hominem in re minime contemnenda quam aggressus fuerit, quia consilium nostrum plane neglexit, eventu mirifice falsum. Cui nobiscum quid se sollicitet communicanti haud alienum erit talia reponere: Siehst du, wer warnte dich damals vor den bösen Folgen deines übereilten Handelns! quae interrogatio responsionem minime flagitat, sed in se comprehendit.

Restat ut unum pronominis interrogativi usum quo id ad desiderium exprimendum adhibeatur uno verbo expediam. Potest scilicet exempli gratia is cui hominum quorundam qui adsint auxilio ad aliquid efficiendum opus sit desiderium suum sic verbis effingere: Quis vestrum mihi in hac re perficienda opitulatur? Plautinum huius usus exemplum quod in Capt. 479 sqq. spectatur licet adiungere: Ibi quidem Ergasilus parasitus quam sibi coenam aucupanti res minime contigerit secum narrans haec verba facit: Nam uti dudum hinc abii, accessi ad adulescentis in foro / ‚Salvete', inquam: ‚quo imus una ad prandium?' atque illi tacent. / ‚Quis ait „hoc" aut quis profitetur?' inquam: quasi muti silent / neque me rident. ‚ubi coenamus hodie?' atque illi abnuont. — Qui usus cavendum est ne interrogationibus rhetoricis adnumeretur. Videlicet hic responsio haud minus flagitatur quam in ceteris veris interrogationibus; hoc interest, quod qui hoc modo interrogat, sumit aliquid quod re vera scire nequit. Qui etsi re in severi iudicii discrimen vocata non debet sic interrogare, tamen vere interrogat

responsionem sibi satisfacientem exspectans ut de rhetoricarum verarum interrogationum usu cogitari possit, de interrogationibus vere rhetoricis non possit. Neque aliter res sese habet in frequentibus illis apud poetas scenicos enuntiationibus optativis quae a *πῶς* incipiunt, veluti in Eur. Med. 97: *ἰὼ μοί μοι, πῶς ἂν ὀλοίμαν.* cf. 173. Scilicet qui quid optat, quaerit quomodo assequatur quidquid exoptat; unde factum est, ut haec interrogatio quae secundarium sit pro ipso desiderio quod primarium sit possit collocari.

Atque haec habui quae de interrogationibus pronominalibus dissererem; relinquitur alter totius disputationis locus qui simul genus affirmativum ac disiunctivum tractabit.

VITA.

Natus sum, Theodorus Ioannes Alfredus Imme, die III. mensis Maii anni MDCCCXLVII Culmae Borussorum, patre Alfredo, matre Minna e gente Oloff parentibus. Fidem profiteor evangelicam. Inde a decimo aetatis anno in Martis seminario Culmensi litterarum rudimentis imbutus quadriennio post in tertiam classem gymnasii regii receptus sum quod sub directoris Łożynski auspiciis tunc florebat et nunc quoque floret. Unde autumno a. MDCCCLXVI rite dimissus Berolinum me contuli philologiae studia amplexurus et universitatis Fridericae Guilelmae civis factus sum. Ubi cum per tria semestria potissimum Boeckhii, Droysenii, Hauptii, Steinthalii, Trendelenburgii lectionibus interfuissem, valetudine impeditus in patriam redii et in praedio quodam per breve tantum temporis spatium praeceptoris munere functus stipendia merui. Deinde autumno a. MDCCCLXIX litteris redditus Lipsiam me converti ubi inde ab illo tempore G. Curtius, L. Langius, Lipsius, Ritschelius, G. Voigtius, Zarnckius, alii viri docti litteras me docuerunt. Quamquam studia mea iterum interrupta sunt celeberrimo illo bello nuper a nostris contra Francogallos dimicantibus tam egregie confecto cui mihi contigit ut interessem et terram Gallicam ad Parisios usque peragrarem. Ab armis deinde ad litteras revocatus prospere mihi evenit ut sodalibus ordinariis seminarii philologici adscriberer cuius exercitationibus aeque ac theotiscis Zarnckii operam dedi. Iam cum viris omnibus quorum disciplina sapientiaque institutus sum quam maximas ago gratias tum vehementer obstrictus sum universitatis Lipsiensis professoribus Curtio, Langio, Ritschelio, Zarnckio qui viri egregii et mihi semper benevolentissimi non solum lectionibus fructuosissimis ingenium meum excoluerunt, sed etiam praesenti opera animi vires exacuerunt ac corroboraverunt.